22454
Mag. St. Dr. P

VINCENTIUS KADLUBKO

ET

MARTINUS GALLUS

SCRIPTORES HISTORIÆ POLONÆ

VETUSTISSIMI

CUM DUOBUS ANONYMIS

EX MS.

BIBLIOTHECÆ

EPISCOPALIS HEILSBERGENSIS

EDITI.

GEDANI MDCCXLIX.

22454 III

Editoris præfatio.

Junctos uno eoque modico volumine præsentes historiæ Polonæ scriptores, ideo Celsissimus & Reverendissimus Princeps Episcopus Varmiensis, nobiscum ex Heilsbergensi Bibliotheca benignissime communicavit, ut typis exprimi curaremus. Codex ille, quo continentur, manu exaratus, fuit olim Petri Schamotulii, Castellani & Præfecti Posnaniensis, seu, ut hodie appellamus, Capitanei majoris Poloniæ generalis, qui sæculi decimi quinti medio floruit, legiturque in primæ paginæ inferiore margine auratis litteris: liber magnifici Domini Petri de Schamotuli Castellani & Capitanei Poznanien. *Quando autem & quo casu in bibliothecam Episcopalem Heilsbergensem illatus sit, plane ignoratur, neque scire multum interest. Id autem constat, anno 1426 descriptum esse, qui annus p. 33. Kadlubkonis Chronico adiicitur, idque non tantum de solo hoc Chronico, sed & de sequentibus intelligendum, cum iidem litterarum ductus, idem atramentum, eadem charta satis demonstrent, eandem manum, eodem tempore integrum codicem exarasse.*

Primo loco citatum Kadlubkonis chronicon exhibetur, de cujus auctoris vita & ipso chronico sufficere possunt, quæ in præfatione Tomi II. Dlugossi, Lipsiæ editi, cui cum aliis Kadlubko junctus est, commemorantur. Ipsum tamen chronicon quale nunc in lucem prodit, ab eo, quod primum Herburto debemus, quodque Lipsiæ recusum, in multis differt. Aliud in nostro initium, narratio continua non per epistolas interrupta, expositio rerum, nonnullis passim omissis, brevior. Pagina autem 23. historia Boleslai III. in bello cum Pomeranis abrumpitur, & statim Casimiri II. regimen, & ne quidem regiminis initium, sed medium subiicitur. Verum quæ ibi omissa, in nostra editione a p. 45. usque ad p. 55. adduntur. Leguntur etiam p. 44. ad Boleslaum I. & Boleslaum II. pertinentia, quæ tamen in Kadlubkone antea edito non occurrunt: ut contra in nostro codice pars capitis vicesimi quarti, cum integris quæ sequuntur duobus capitibus, iisque libri quarti ultimis, desideratur.

Kadlubkoni additur continuatio ab anno 1205 usque ad annum 1288, quæ non est ipsius Kadlubkonis jam a. 1223 mortui, sed alius, cujus nomen latet. Neque omnia quæ illo spatio in Polonia contigerunt enarrantur, verum nonnulla carptim breviterque perstringuntur.

Hunc Kadlubkonis continuatorem excipiunt p. 33. annales ab anno 899 in annum 1327, nisi quod aliquid non magni momenti additum, annum 1378 præferens. Quod ad auctorem, posset ex initio annalium videri idem composuisse eosdem, qui Kadlubkonem & ejus continuatorem descripsit, quod tamen in medio relinquimus.

Chro-

Chronicon quod p. 56. sequitur, vindicavimus Martino Gallo, & ante nos vetusta manus, ea tamen, quæ ipsum Chronicon descripsit, recentior, in ejus fronte notavit: Gallus hanc historiam scripsit, monachus ut opinor aliquis, ut ex prooemiis coniicere licet, qui Boleslai tertii tempore vixit: & in fine Chronici appositum, huc usque Gallus. Notus est inter historicos Poloniæ ineditos Martinus Gallus, a Dlugosso lib. I. p. 36. & 65. edit. Lipsiensis citatus, quemque cum Baskone, primus Kadlubkonis editor, Herburtus, in sua præfatione promisit, sed promissum non implevit. Vocatur ille a Dlugosso quidem Martinus Gallicus, ab Herburto Gallus anonymus, neuter tamen a Martino Gallo diversus est. Gallus procul dubio appellatus, quod ex Gallia in Poloniam venerit, & quamvis ipse patriam suam sileat, vocat tamen p. 93. se exulem apud peregrinos, quodque sacri ordinis fuerit, patet ex eadem pagina, ubi Capellanos Ducales venerandos & alios bonos Clericos per Poloniam, quibus Chronici tertium librum inscripsit, fratres suos carissimos nominat. Id certum, quod regnante Boleslao III. vixerit, nam p. 56. affirmat, Episcoporum, quibus chronicon suum dedicavit, tempore, Boleslaum tertium gestis memorabilibus Poloniam illustrasse, & ipsis degentibus, multa & magnifica ab illo Principe gesta esse. Incipit autem dedicatio, Domino M. Dei gratia summo Pontifici, simul Simoni, Paulo, Mauro, Syroslao, Deo dignis ac venerandis Pontificibus Polonie regionis; qui sunt: Martinus Archiepiscopus Gnesnensis, Simon Episcopus Plocensis, Paulus Episcopus Cruscviensis, qui hodie Vladislaviensis seu Cujaviensis, Maurus Episcopus Cracoviensis & Syroslaus Episcopus Vratislaviensis, qui omnes Boleslai III. ætate, quisque suo episcopatui, præfuerunt: & ex quibus Paulus Poloniensis

Episco-

Epiſcopus, *qui non alius, quam memoratus Cruſvicenſis, p. 79. iterum compellatur. Orditur Martinus noſter chronicon ſuum a Piaſto, quem Paztum vocat, ut tamen etiam Popelonis, qui alias Popiel, mentionem faciat, & a. 1109 finit. Eſt ergo ille hiſtoricorum Polonorum antiquiſſimus, & ante Kadlubkonem, cui non officit, quod in præſenti ſcriptorum faſciculo tertium locum occupet, quia is ſervatus ordo, quem codex manu ſcriptus aſſignavit.*

Ultimus eſt ſcriptor anonymus, hiſtoriam ab anno 1330 in annum 1426 complexus, quemque ad ſæculum Vladiſlai Jagellonis referendum eſſe, hoc argumento probatur, quod anno 1426 cum morte ſecundi filii Regis illius finiens, tertium filium 1427 natum plane ſileat, quaſi præter duos priores, non alium Vladiſlaus ſuſtulerit. Accedit, quod ut ſupra mentionem fecimus, eadem manus quæ a. 1426 Kadlubkonis chronicon, & hunc anonymum deſcripſerit, & totus codex medio decimi quinti ſæculi, bibliothecæ Caſtellani Poſnanienſis Schamotulii pars fuerit.

Judicium de ipſis his Scriptoribus, ſervamus lectoribus integrum. Invenient in iis utilia, non ingrata, & quibus nonnulla in hiſtoria patriæ noſtræ corrigi & explanari queant. Fabuloſis & falſis, quorum multa, præſertim in commemoratione antiquiſſimorum temporum, reperiri ultro largimur, facilis dabitur venia, quod id vitium eſt commune illis, qui res geſtas populorum a primis initiis repetere conantur, quosque ſæculi ſui credulitas, non culpa a veritate abripit. Quicquid autem in ſuum commodum lectores verſuri, id quidem omne Celſiſſimo Principi Epiſcopo Varmienſi acceptum referant, Cui vitam & incolumitatem pia mente precamur.

VINCENTII KADLUBKONIS CHRONICON POLONORUM

AB ADHUC EDITO DIVERSUM ET AD ANNUM 1388 CONTINUATUM.

Ortum ſive originem Polonice gentis ab inicio mundi ut ex multis hiſtoricis ſcripturis comperi, compendioſe ſtatui deſcribere. Sciendum eſt autem ante omnia, quod Poloni ab Japhet qui fuit filius Noe, ſunt exorti, cui dum pater benedixit, ſancto ſpiritu inſtigante intonuit, dilatet deus Japhet. Hic Japhet habuit multos filios, quos genuit. Unum habuit cujus nomen erat Jawan, quem Poloni vocant Ywan. Ywan autem genuit Philaram, Philara autem genuit Alan, Alan autem genuit Anchiſen, Anchiſes autem genuit Eneam, Eneas autem genuit Aſcanium, Aſcanius autem genuit Pamphilum, Pamphilus autem genuit Reaſilivam, Reaſiliva autem genuit Alanum, Alanus autem qui primus Europam intravit, genuit Negno, Negno autem quatuor filios habuit, cujus filius primogenitus Wandalus a quo Wandalite, qui Poloni nunc dicuntur, orti ſunt. Hic ex nomine ſuo fluvium, qui nunc Wysla vulgariter nuncupatur, Wandalum cenſuit appellari. Nam & mons de quo oritur dictus fluvius, Wanda ab ejusdem nomine vocitatur. Fuit autem circa computationem veriſimilem tempore Sancti Joſeph filii Jacob patriarche, Joſeph autem a computatione Noe fuit in tercia decima generacione. Sic & Wandalus per aliam viam deſcendendo, habuit quam multos filios, qui generacionibus ſuis ultra quartam partem Europe, per regiones & regna ſemen ſuum multiplicando, poſſederunt, videlicet (ſunt) tota Ruſſia usque ad orientem, Polonia maxima terrarum & nunc Pomerania, Casſzubia, Svecia & Barbia, quæ nunc Saxonia appellatur, Bohemia, Moravia, Stiria & Carinthia & Sclavonia que nunc Dalmacia dicitur, Carvacia, Pannonia, Bulgaria & alie quam plures quarum multitudo propter prolixitatem ſubticetur, quae gentes in regna forcia poſtmodum excreverunt, & multas tandem naciones exterminantes, regiones earum ſibimet ſubjugarunt, ſic eciam reperitur in cronicis Romanorum.

Nunc autem obmittentes loqui de regionibus & nacionibus diverſis de ſemine Negnonis Wandali procedentibus, ad ſolum regnum Polonie ſtilum verto. Eſt autem Polonia communiter dicta, regio orientis in partibus poſita, rebus opulenta, ambitu ſpacioſiſſima, quam

plurimis magnis provinciis diſtincta famoſiſſima, exinde princeps provinciarum & domina, hæc eciam fuit multorum fecunda & parens natorum, quos proceritate ſtature, virium robore, aſpectus venuſtate natura etiam ibi decoravit. In deſcriptione quoque ſuorum annalium hoc inveni, quod a dicto Wandalo patre Polonorum usque ad tempora regis Asveri Heſter mariti, qui regnavit ſuper centum XXVII provincias, regem ſive principem Polonia habere non curat, de ipſorum eciam actibus ſive bellis usque ad dicta tempora, nulla fit mencio.

Eodem tempore ſiquidem predicti regis Asveri, qui regnavit a Juda usque Ethiopiam ſupra centum XXVII provincias CCC millia Gallorum, ut ait Trogus, cum eos ſua patria capere non poſſet, ad ſedes novas querendas, terram propriam relinquentes exierunt. Ex quibus porcio in Italia conſedit, Romamque captam incendit, omnia vero pene tocius orbis regna occupare moliebatur, quod Poloni audientes copioſum exercitum congregant, Cracumque virum nobilem & bellare ſcientem, Capitaneum conſtituunt, multa millia eorum, multis ſtravere conflictibus, reliquos afflictos ad ſodalicii fedus compulere, & ſi quid eis aut ſorte aut virtute apud exteros acceſſiſſet, equa utriusque obtingeret particio. Gallis igitur ceſſit univerſa Grecia, Polonorum vero huc usque Parthiam iſtuc usque Ungariam ſimiliter usque Carvaciam exercitibus ceſſit acceſſio, ubi poſt multos cum Romanis conflictus, poſt multorum bellorum diſcrimina urbes occupant, prefectos conſtituunt, prefatum Cracum in principem creant. Poſt aliquod tempus rediens a Carinthia Cracus, ut erat maxime diſcretus, omnium naciones nobilium convocat, omnium in ſe ora convertit, dicens: Sicut corpus ſine anima eſt, lampas ſine luce, mundus ſine ſole, ſic eſſe imperium ſine rege, quare non regem ſed imperii ſocium pollicetur, ſi ipſum in regem eligant, non ſibi ſed toti natum ſe credere mundo. Cracus rex ab omnibus exaltatur, jura inſtituit, leges promulgat. Sic igitur noſtri civilis juris nata eſt conceptio, ſeu concepta nativitas. Igitur Polonia florentiſſimis per Cracum aucta eſt ſucceſſibus. Floruit autem Cracus primus Rex Polonie ante incarnacionem Chriſti annis plus C C C C tis & ante Alexandrum macedonem pene centum. Hujus quoque tempore in cujusdam ſcopuli anfractibus monſtrum atrocitatis immaniſſime, quod quidam Olophagum dici putant, hujus voracitati ſingulis ebdomadibus ſecundum ſupputacionem certus armentorum numerus debebatur, que niſi accole quaſi quasdam victimas obtuliſſent, humanis totidem a monſtro capitibus plectebantur.

Iſta de tempore & actis Craci primi regis Polonie, nunc ad ſecundum Cracum filium ejus ſucceſſorem regis Polonie procedamus. Igitur Cracus primus, filius erat clemencior ſuper patriam, quam pater erga filios, prefatam olophagam perniciem non ferens, duobus filiis ſuis accitis quos invicem diligebat, clam cum eisdem de ſucceſſione regni digniſſima agens propoſitum pandit conſilium. Inimica, inquit, ſunt ignavia virtuti, caniciei deliramentum, juventuti ſegnicies. Non eſt enim virtus quæ ignava eſt, non canicies quæ delira, non juventus

quæ

quæ ſegnis, immo eciam fugienda eſt, ubi nulla eſt exercende animoſitatis occaſio. Porro ſponte ingerentem ſe gloriam quis unquam declinavit niſi prorſus inglorius, at vero defenſa vel conſervata civium ſalus eternales tranſcendit triumphos, nec enim proprie indulgendum ſaluti quociens de communi agitur diſcrimine. Vos itaque vos o vera precordia quorum utrumque noſtris educavimus virtutibus, vos in monſtri necem armari convenit, vos in ejus congreſſum proponi decet non exponi, utpote vite veſtre dimidium, quibus hujus regni debetur ſucceſſio. At illi: imo privignali pater odio videremur intoxicati, ſi tantæ gloriæ munus nobis invidiſſes, penes te ſit jubendi auctoritas, in nobis eſt obſequendi neceſſitas. Tandem enim induſtria uti coguntur. Coria etenim armentorum accenſis plena ſulphure ac pice ad inſtar Danielis, qui draconem Babiloniorum occidit, loco ſolito pro armentis collocantur, quæ dum avidiſſime glutit olophagus exalantibus intro flammis ſuffocatur, moxque junior frater, cui nomen paternum erat Cracus, tam victorie quam regni, non quaſi conſortem ſed emulum fratrem occupat ac trucidat, cujus funus crocodillis proſequitur lacrimis, quem a monſtro mentitur occiſum, a patre autem gratulanter quaſi victor excipitur, ſepe autem memor funeris gaudio vincitur victorie. Sic junior Cracus paterno ſucceſſit imperio, heres nepharius, ſed diucius fuit fratricidio ſordidus quam imperio inſignis, nam paulo poſt dolo deprehenſo piaculo deputatur ſuplicio exilii perpetuitate damnatus, nec enim lex juſtior ulla, quam necis artificem arte perire ſua. Sed tam degenerem non ſperabam ſurculum de tam generoſæ vitis propagine, ſepe tamen uva detumeſcit in acinum, ſepe olea vertitur in amurcam, ſepe aurum degenerat in ſcoriam. Quid igitur miri ſi triſtes habet exitus triſtis ambicio, que quanto eſt felicior, tanto miſerior, quanto florentiſſimis uberior eſt ſucceſſibus, tanto atrocioribus eſt proximior inſidiis, quanto imperioſius aliis imperare deſiderat, tanto ſubjeccius aliorum ſervituti adiicitur. Ambicionis enim eſt, omnes ambire homines, ad omnium ſcabellum proſterni, donec quod appetit utcumque aſſequatur. Habet autem quatuor cupiditatis filios, opum ingluviem, honorum ambicionem, inanis glorie captacionem, libidinis pruriginem. Inter has naciones ſceleſtas ſuperbit ambicio, ideo quia humilium dedignata tuguria ſuperborum ſublimium palacia propria virtute calcavit, que quantas in ſe habeat delicias, prunis ſubaccenſis, mucrone ſuperappenſo, Dyoniſius familiari quam familiariſſime demonſtravit.

Sed nunquam tamen immortalia Craci primi beneficia ſic emori debuiſſent, ne nomen tanti patris ſuperſit inſigne. Ad quod ergo ſcopulo olophagi mox fundata eſt inſignis urbs a nomine Craci dicta Cracovia, ut eterna Cracus viveret memoria, nec prius ceſſatum eſt ab exequialibus obſequiis, quam urbs conſumacione clauderetur, quam quidam a crocitatione corvorum, qui eo tempore ad cadaver monſtri confluxerant, Cracoviam dixerunt. Tantus eciam amor demortui Principis, ſenatum, proceres, vulgus devinxerat, ut unicam ejus virginculam filiam, cujus nomen Wanda, patris imperio ſubrogarent. Wanda

igitur

igitur filia primi Craci & germana ſecundi, prope Cracoviam polonie regina conſtituitur, que tam elegantis forme erat, & quæ omnimoda graciarum venuſtate omnibus adeo preſtabat, ut non tam largam quam prodigam in ejus dotibus eſtimares naturam. Nam & prudentum conſultiſſimi ejus auſcultabant conſiliis, & hoſtium atrociſſimi ad ejus manſveſcebant aſpectum. Unde quidam Allemannorum Rex tyrannus, dum propoſito hujus gentis populande graſſaretur, dum quaſi vacans rapere molitur imperium, inaudita quadam virtute prius vincitur, quam armis: omnis enim exercitus mox ut reginam ex adverſo vidit, veluti quodam ſolis radio ultra repente percellitur, omnes velut ultra qvodam viſu numinis hoſtiles animos exuti a prelio divertunt, aſſerunt ſacrilegium a ſe deſtinari non prelium, non hominem ſe vereri ſed transhumanam in homine vereri majeſtatem. Quorum Rex, incertum eſt an amoris an dignacionis an utriusque ſaucius langvore, ait: Wanda mari, Wanda terre, aeri Wanda imperet, diis immortalibus Wanda pro ſuis victis, & ego pro vobis omnibus proceres ſolemnem inferis hoſtiam devoveo, ut tam veſtra quam veſtrarum ſucceſſionum perpetuitas ſub femineo conſeneſcat imperio. Dixit & exerto incumbens mucroni expirat. Ipſa denique Wanda a Wandalo, Wandalorum i. e. Polonorum ſive Lechitarum progenitore, de quo ſupra diximus, nomen accepit, ut poteſt dici Wande a Wando ſcilicet flumen Wisla eoque ejus regni centrum extitit, ſic omnes ſunt Wandalite dicti qui prefuere imperiis, queque omnia ſprevit connubia, imo quia connubio pretulerat celibatum, ſine ſucceſſore deceſſit, diuque poſt ipſam claudicavit imperium ſine rege. Nullus ergo miretur, quod mulier Polonis imperavit, nam Aſſyriorum regina Semiramis immaturo filio regnum credere non audens, ſe filium ſimulans, quia monarchica regno viri Ethyopiam adjicit, Indis bellum infert, quo preter illam & Alexandrum magnum nemo unquam intravit. Multe quoque & alie non tantum feminas ſed eciam viros virtutibus anteceſſerunt. Non tamen ego in femina Wanda virilem admiror induſtriam, ſed multo amplius in viris nobilibus Polonorum fidei conſtanciam, licet enim bonis videntur moribus diſſonum, feminam principibus imperare, pietati tamen decencius viſum eſt, & paternis prolem juvari meritis, & mortuorum apud poſteros non mori beneficia. Modernis autem noſtra tempeſtate tempusculis apud modernos Polonos in quos fines ſeculorum devenerunt, fides non parit fidem, ſed ſi concipit, prius abortit quam pariat, prius exſpirat partus, quam ſpirare incipiat: quia ad pia fidei ubera gemina pendent viperarum catuli, ſugunt perfidi, a quibus non ſolum amici ſed domini plus dolo coluntur quam fide: negociatio enim eſt non amicitia que ad commoditates accedit.

Hujus autem reipublice adminiſtratio humilibus nonnunquam & incertis ceſſit perſonis, nulla prorſus vel vulgi vel procerum ſugillante invidia, utpote que glorioſis & jam hodie gloriari delectat inſignibus. Nam famoſus is Alexander, cum vectigales a Polonis exigere penſiones tentaret, mittit legatos. Legati tantum eſtis an eciam Regis cenſus queſtores & collectores; Qui reſponderunt & legati ſumus & queſtores.

Ad

Ad hoc illi, prius erga legatos intemerata eſt adhibenda religio, ut magnifice ſuſceptos, magnificis veneremur donariis, queſtoribus deinde queſtus exſolvantur cenſuales, debetur enim Ceſari quod Ceſaris, ne leſe crimen incurrant majeſtatis. Legatorum itaque precipuos prius vivos excoriant, deinde cutes corporibus exoſſate partim auro partim argento ſarcinantur, viliſſimo fimo fetente humanaque pelle inhumane veſtitum metallum cum hac remittitur epiſtola. Regi Regum Alexandro Imperatrix Polonia. Male aliis imperat qui ſibi imperare non didicit, neque enim gloria dignus eſt, de quo pompa cupiditatum triumphat, tue ſiquidem ſitis nullum refrigerium nullum temperamentum, imo nusquam eſt tue cupiditatis modus, ubi mendicat tue paupertatis tenuitas. Licet tamen inſaciabilem tue voracitatis abyſſum totus mundus ſaciare non poſſit, tuorum ſaltem utcunque refocillamus legatorum eſuriem, nec te lateat apud nos non eſſe loculos, ideo pauciora xeniola fideliſſimis tuorum capſidilibus noveris a nobis commiſſa. Scias quoque Polonos cum virtute corporis duricie non opibus cenſeri, non eſt ipſis cure, unde tanti Regis imo tante bellue rapidiſſima repleri poſſit ingluvies, abundare tamen eos veris theſauris juventutis non dubites, quibus tua non ſuperari ſed porſus extingvi poſſit aviditas. Audita Polonorum epiſtola viſoque confuſionis cenſu, Alexander nimio furore repentinus dixit. Ocius, inquam, ocius ad nos usque pertrahantur tanti commentores flagicii, exquiſitiſſimis ocius plectantur ſuppliciis, imo ſtirpitus eos eradicari convenit, ne aliis auſum pariat temeritatis impunitas. Miſſis denique in Poloniam exercitibus copioſis, quique ad propulſandas proficiſcuntur regis injurias, prelio commiſſo aut occiduntur aut vinculis mancipantur. His auditis, Alexander multum, inquit, ſibi adicit virtus laceſſita, nunc tandem digni, ut noſtræ indignationis virga viſitentur. Perinfinitis itaque hoſtium copiis undique usque Poloniam pergentibus, ipſe preambula Pannoniorum obſequela per poſticum ingreditur Moravie, alas ſuorum exercituum expandebat victorioſusque Cracovie & Syradie provinciis ſubactis, perpetui operis menia ſolo proſternit, redigit in favillam, diſciſſasque urbes jubet ſale conſpergi, tunc primum Cracovia eſt deſtructa civitas.

Nunc de primo Leſtkone Rege Polonie diſſerendum eſt. Alexandro itaque in Cracovienſi provincia aliquantulum demorante, ille qui armis omnium erat invictus, ſimplicis aſtu homunculi conficitur. Omnibus enim Polonis de ſalute deſperantibus & in nemorum ſilvis latentibus, quidam aurifex aurificii arte preditus, galearum & clipeorum formas ex quovis ligno ſeu ſubere precepit effingi, quarum quasdam litargiro, felle alias ſuperlinivit, litargira autem e ſcoria argenti felle vero cincta videntur aurea, & factis igitur multis clipeis & galeis deauratis eas ex oppoſito ſolis, quo magis reſplendeant, in celſo montis erigit cacumine. Orto denique lucis ſidere, refulſit ſol in clipeos aureos & reſplenduerunt montes ab iis, quibus viſis argiraspide invictus Alexandri exercitus ſuſpicatur Polonorum acies ordinatiſſimas eminere. Itaque Alexandrite precipites a caſtris evolant, pas-

ſim

ſim diſcurrunt, hoſtes hinc inde queritant, quos putant diffugio dilapſos. Illas namque armorum umbras ille ingenii artifex dudum flammis injecerat, ne ullum doli deprehendi poſſit veſtigium, juſſeratque non parvam robuſtorum manum in inſidiis deliteſcere. Proinde prima diſcurrentium porcio incaute in inſidias incidit, occupatur, proſternitur, occiſorumque armis victores poloni induuntur, ſe argiraſpidarum ſocios ſimulant, & quotquot ex argiraſpidis junguntur, in ore gladii abſorbentur, ne unus quidem ex eis remanſit, cujus ſucceſſus fiducia ſub eadem argiraſpidarum ſimulacione Alexandri caſtra ingrediuntur, inſignia victorie preferentes. Credunt Alexandrite ſuos de hoſtibus triumphaſſe eminus preſalutant, rem aggratulantur affatu quaſi ſociorum. Inermes igitur obruuntur & improvidi inter prelium argiraſpidita ſigna Lechite proclamant. Nunciatur Regi non hoſtium impetus ſed ſedicionis tumultus, quem cum increbeſcere videt, non ſedari, hoſtiles turmas coadunat, ſuis quas credens Argiraſpidis ferre ſubſidium, ſicque in ſedicionem verſi, plures mutuis quam hoſtilibus concidere vulneribus. Vix tandem dolo percepto cum paucis Alexander evaſit inglorius & ſic poſtremo ceſſavit exaccio, quievit tributum. Ille igitur aurifex per tam ſalubrem quo patriam ſalvaverat aſtum, princeps conſtituitur, nec multo poſt virtutum coadjutus meritis regiae dignitatis celſitudine inſignitur, dictusque & Leſthko, id eſt aſtutus, eo quod aſtu plures hoſtium confecerat, quam viribus. Nulli ergo dubium eſſe debet, quod Poloni per aſtuciam primi Leſthkonis tandem Regis Polonie Alexandrum devicerunt, eſt enim liber epiſtolarum Alexandri ducentas pene epiſtolas continens, in quarum una ſcribit Ariſtoteli in hunc modum: ne de noſtro ſtatu te ſemper ſuſpendat ſollicitum dubia heſitacio, noveris nos apud Lechitas perampliſſime proſperari, eſt autem urbs famoſa Lechitarum ſeptentrionali Pannonie conjunctiſſima lateri, quam Carantiam dicunt id eſt Cracoviam, plus virorum viribus quam copiarum opibus, plus arte quam ſitu munitiſſima, de hac & contiguis triumphavimus. In ea vero epiſtola quam reſcribit Ariſtoteles, ſic habetur. Fama eſt, de Carantia Lechitarum te cum tuis triumphaſſe, ſed hujusmodi gloria triumphi tuis utinam titulis nunquam acceſſiſſet, ex quo acerbum cum ignominia tuis infuſum eſt teſtimoniis legatorum, ex quo lechiticos expertus es argiraspides tui rutilancia ſolis apud multos deferbuit, imo cui viſum eſt micaſſe dyadema, vale. Regnavit hic Leſthko annis multis & obiit ſine prole, poſt cujus deceſſum iterato Polonorum imperium diu ſine Rege permanſit.

Fuit & alius poſt hunc ejusdem nominis princeps, ſed alio pacto Leſthko nuncupatus. Orbata namque Rege Polonia, dum de Regis ſucceſſione contenderet, ſedicionis pene obruitur tempeſtate, ſingulis primorum tyrannidem occupacione ambientibus, diu itaque non ſine periculo ea confliccione agitati, eligendi tandem cenſuram principis deferunt arbitrio privatorum, utpote quorum inſuſpecta videbatur ſimplicitas, a quibus relegata omnis ambicio, ſeque jurejurando utrique conſtringunt; eligentes quidem ne favore perſonali a veritate declinent,

ne devio emolumenti exorbitent, ne atrocioris metu potencie diſtorqveantur ab eo, quod publice perſpexerint commodius expedire: reliqui vero ne cui ab eligentium liceat arbitrio diſcedere. Et quoniam non facile ſe offert diſcordantium votorum concordia, interim multis quidem deliberatum per electores & arbitros verbis, pauculis ſed reſponſum. Vitis, inquiunt, propagatiſſima petulantibus & maculoſis equorum calcibus excitetur. Vitis hoc regnum eſt, equi effrenes id eſt ſine freno, veſtra eſt elacio, in qua tot affectionum ſunt contarietates quot macule; eligatur ergo ſtadium, figatur meta, & cujus eqvus maculis diſtinccior primus eam metam contigerit, eum regem debere cenſeri. Congaudent omnes, affavent univerſi, ſtat fixa omnium ſentencia, ſed procraſtinatur exſecucio ſentencie. Interea ab omnibus equi experientiſſime agilitatis conquiruntur, ſeque in eis exercitantes ſtatum currendi tempus preſtolantur. Quidam interim artis vulcanie, fretus ope occulta quadam ingenii nititur uti verſucia, omnem namque ſtadii planiciem ferreis conſerit exigonis modica ſemita cautis annotacionibus diſtincta, ut dum alios clavi exigonorum prepedierint, ipſe per ſemitam expeditiorem curſus bravio potiretur. Sed dolus arsque doli vincitur arte dolo. Duo enim juvenes fortuna tenues, condicione humillimi de pedum celeritate altercantes, certa pignoris quantitate ſe obligant, ut victus celeriorem nunquam niſi nomine regis audeat ſalutare, cumque invicem colludio jocarentur, decet, inquiunt, ut pro noſtre corone victoria in campo regis certamine decertemus, ad ſtratum igitur egredientes dum ad metam currere vellent, in primo impetu mox ſubſiſtunt aculeis oſſetenus plantas confixi, poſt longam exigonorum admirationem aſtum conjiciunt, dolum ſemite deprehendunt, quem eisdem conſerunt inſidiis omni prorſus diſſimulata noticia, & quia ut aſſolet inſperate rei appetitum ſepe ſuggerit occaſio, uterque ambitum concipit, uterque ſecum ſuam verſat induſtriam. Adeſt dies edicti, conſidet ſacer Senatus, reverencia aſtat ſpectata procerum, venuſtas juvenum arridet vernancia. Inter ceteras imo pre ceteris ille doli magiſter ſemite fidit ſubſidio, qui omnem equi calcem ferreo munierat ſubtegmine, ſed & curſorum alter ſpe non cicior quam & reliqvus, ab exigonis leſus amplius nondum ſoſpes erat, ideoque reſidens tacita meditatur ſuſpiria. Primo ita & iterato ac tercio dato ſigno, omnes ex directo proſiliunt, ille vero pedeſter transverſo rapitur curſu, non ſine magno vulgi ſpectantis ridiculo, cumque omnes exigonorum involverentur periculis, curſor ille longi anfractus emenſo circuitu mete tandem accelerat, quam ille doli artifex ante ipſum occupat, & rex per modicum intervallum temporis ſalutatur. Leſa enim univerſitas, mox ut equi vidit ferrumenta eum agnoſcit doli auctorem, & quia dolus nulli patrocinatur, ultimis affectus ſuppliciis membratim diſcerpitur, ille vero pedeſter qui fuit vulgo ridiculo, judicio magiſtratus regnum adipiſcitur.

Verum ſi latet ars prodeſt, confert deprenſa pudorem, alter honoris onus fert ſepius alter honorem. O regem infelicem! qui dum creatur momento, fit momentaneus. O magne vigilancie Princeps!

cujus oculus ſomnum in principatu non vidit. Verum ad acta iſtius Leſthkonis ſecundi revertamur, huic tantum animoſitatis exercendæ fuit ſtudium, ut plerisque hoſtium robuſtiſſimis ſingulares indixerit conflictus, a quibus non ſolum vitam ſed eſt regna & fortunas extorſit, cui cum hoſtis deerat extraneus, ſuos aut contra ſe, aut invicem dimicaturos primus invitabat, tanta quoque fuit illi prodigalitas in omnes, ut ſibi mallet ex virtute naſci egeſtatem, quam ex tenacitate abundantiam, ut ſe prius egere pateretur quam egenis denegare ſtipendia. Nec defuit illi ſoror honeſtatis amica prudencie ſobrietas, hujus enim menſe, hujus conviviis hec habita eſt circumſpectio, ut nec ultra quam natura juſſit, aut citra quam honeſtas imperavit, aut exigi liceret aut impendi. Solercior illi cura plus animi placere dotibus quam corporis. In quo id inter ceteras virtutes emicuit humilitatis inſigne, quociens namque eum regalibus inſigniri, regia ut aſſolet dignitas, originarie non immemor condicionis, in habitu ſordido prius thronum regium conſcendit, regalem ornatum ſcabello pedum ſupprimens, deinde regiis decoratus inſignibus ſcabello inſedit, illis extreme paupertatis panniculis in ſupremo orcheſtro reverentiſſime collocatis. Et ſane perdecuit Regem plus humilitate decorum, quam purpura conſpicuum, ac ſi ſibi diceret, principem te elegerunt, noli extolli, ſed eſto humilis, quaſi unus cum ipſis, verum ſic te ſtare putes, ſi ſtans cecidiſſe vereris, ſic re virtutes ſi res virtute mereris.

Hujus item filius Leſtko tercius non tam patris imperio qum multa paternis adiecit virtutibus, qui Julium Ceſarem & primum Monarcham tribus confudit preliis; qui Craſſum Ducem Romanorum apud Parthos cum omnibus delevit, cujus ori aurum liquefactum infundens, aurum inquit ſitiſti, aurum bibe. Huic tandem Leſthkoni Julius jure affinitatis gaudet, ſororem ſuam nomine Juliam ejus matrimonio ſociat eique nomine dotis Bavaria datur. Hæc Julia geminas fundavit urbes, quarum una a nomine fratris Julius que Libuz, alia a ſuo proprio nomine Julin quæ nunc Lublin dicitur, juſſit appellari. Etenim quia Julius ex hoc facto Romani Senatus adverſum ſe conflavit invidiam, qui quaſi hoſtis non ſicut civis romani propaginem artavit imperii, hoſtium illectus amplexibus & quos magis decuiſſet ſervire quam decuiſſet imperare, ea que nomine dotis dederat a ſorore nititur extorquere. Qua ex cauſa ſoror ejus paſſa eſt repudium parvulo filio cui nomen Pompilius apud virum relicto. Pellex autem ejus que preſentem etiam emulata fuit reginam loco regine ſuccedit. Hæc odio emule ob amoris reſiduum quo Regem devinxerat, prædictarum urbium nomina transmutavit. Ex hoc & aliis thoris minus legitimis perhibetur hic Leſthko filios ſuſcepiſſe, quibus totidem principatus aſſignat, quibusdam Ducatus, aliis Comitias, aliis Marchionatus, nonnullis regna diſtribuit, Pompilium vero jure primogeniture omnium Regem ſtatuit, cujus Leſthkonis tempore Chriſtus de Virgine creditur natus. Regnavit etiam usque ad Neronis tempora, qui Petrum & Paulum Apoſtolos interemit.

Succe-

Succedens autem huic Leſthkoni Pompilius ejus filius non Sclavonie duntaxat Monarches, ſed etiam finitimorum Gubernatorum ſumit imperia, in cujus devotiſſimis obſequiis fratrum turba viſa eſt contendiſſe certamine, qui tanta reverentia, tantaque coluere dulcedine, ut etiam parvulum filium ejus, nominis paterni Pompilium regem ſufſecerint nulla prorſus detractione nullo livoris zelo diſtorti. Optima & plus quam beata fraterna ſocietas, apud quam plus pietatis valet religio quam ambitus principandi perſvadeat. Nec mirum ſi fratres XXti unius imperio fideliter obſecuti ſunt, cum de Crocinio Rege Arabum maius accipiamus exemplum. Hic ſiquidem Crocinius ſeptingentos habuit filios, quos ex viliſſimis receperat pellicibus quorum fiducia ex ſangvinibus finitimorum magnum nomen comparavit, immo invictiſſimos Regum inſigni felicitate perdomuit, quorum utinam ſucceſſibus noſtri cenſendi Pompiliade.

Loquar aut ſileam, pudor eſt aperire pudorem. Ille ſiquidem Regum eximius minor Pompilius, cujusdam venefice mulieris ebriatus illecebris, odio gratiam, amicitiam inſidiis, cruore pietatem, fidem perfidia, tyrannide ſuorum primorum obſequia recompenſat. Cui illa mulier procaciſſima ſepe ejuscemodi verborum floſculos ſuggerebat. Non eſt igitur tranquillitati plurimum confidendum, quia intenſior ſolis ſerenitas in imbres repentinos ſepius deferveſcit, nec tibi multum aggratulari convenit quaſi jam portum teneas pedibus, qui nec fluctuum acceſſiones attingis. Non vides prominentes ſcopulos tuis comminari periculis? Nulla enim eſt beatitudo quae ſuis langvet viribus, nulla ſecuritas quae ſuorum partium laborat ſectione, porro quot patruos habes, tot hujus regni inimicos, tot quietis inſidias. Dicunt enim decoratiſſima tibi verba, ſed volunt contraria, nam ſub roſa ſpine pungunt, ſub graminis vernancia coluber delitescit, patronos ſe dicunt non patruos, non patronos tantum ſed & patres. Sentis ne hec atque animo illabuntur? putas illos nuda nuncupatione delectari? nec ut illis imperares te regem creaverunt, ſed ut interim quaſi pendente imperio quivis illorum opportunitatem imperandi nanciſcatur, poſtremo & puer es nec te quicquam niſi ludere oportet. Illi in quibusdam nugis velut ſeniorum te occupant conſiliis, non ut prudentiorem reddant conſulendo, ſed ut occaſiones contra te aucupent cavillando: Elige utrum ſervus eſſe magis velis, an liber, tuus eſſe velis an alienus, ſemel beatus an ſemper miſer. Scindi certe convenit venam ſangvinis commendatiore ſanitatis conſilio, non enim libera eſt vitis propagatio niſi etiam veri interdum reſcindantur palmites, ubi falce non reſcindantur nec amputentur propagines. His & ſimilibes illi perſvaſis, eadem jubente magiſtra ſe in lectum languore ficto dejicit, amicos patruosque qui conſolandi gratia vel conſulendi neceſſitate jubet accerſiri, quibus & cauſam & diem ſui obitus quam divinitus revelatam ſecretius inſinuat, ſingulis quaſi ſingulare ſecretum inſtillans, de regni ſucceſſore conſtituendo convenit, ita inquiens me mea fata vocant, ſed mori quaſi non videor, ſi veſtra erga me ſtudia viderim, ſi meas vobiscum concelebraverim exequias. Audiens tunc hinc veras hinc fictas lamentatio-

num

num voces, hinc ſuſpiria inde ſingultus, hinc planctus lugubres inde horribiles ululatus. Lacerant crinem virgines, matrone vultum, habitum annoſe, augent lamentationum ſingultus regine ejulatus, que nunc virum nunc ſingulos procerum, luctuoſo amplexu quaſi dulci amaritudine demulcet, ut jam non ſimulatis ſed lacrimoſiſſimis concutiantur ſingultibus, adeo ut ad lamentabiles illius modulaciones fama ſit imagines ereas fuiſſe lamentatas & ad ejus lacrimas ſericinis lacrimis maduiſſe. Poſt funebres itaque ſuperſtitiones, quas etiam hodie in funeribus exercet gentilitas, lautiſſimis epularum excipiuntur delitiis, cumque per ſumptuoſiſſimos potus eſſent aliquantulum a merore ſoluti, rex ut ſe viſitent poſtulat & vicaria poculorum adhortatione coram ipſo blande conſolentur. Ait enim, ex jucunda ipſorum conſeſſione ſui langvoris naſci remedium, ſuaque vite extrema gaudio pocius finiri quam luctu occupari. Quid inquit o Regina meſtis mades fletibus, merore conſumeris, viduitatem times, imo in tot mei ſangvinis ſuperſtitibus me ſemper puta ſuperſtitem. Nunc vero patruorum precipuos, amiciſſimorum intimos exhortatos eſſe velim, quorum velut ſiderum radiis noviſſimis recreor obtutibus, ut apud ipſos vite noſtre vivat recordatio, utpote quoniam noſtre vite noverint eſſe dimidium. Jurant illi prius ſe velle vivos ſepeliri quam ejus in ſe mori beneficia. Elevetur ergo, inquit Rex, tale poculum & cyphus, elever & ego, ut omnes conſalutare valeamus ut omnes invicem confederemur oſculo valedictionis, ut ex hoc divino nectare me preſorbitante ſinguli delibent. Erat autem aureum poculum Regine ingenio artificioſiſſime elaboratum, in quo quantumlibet modicus liquor infuſus ad ſummum inundabat, & cum vix eſſet crater ſemi dimidius liquore ſurſum velut vaporaliter ſuſpenſo plenus videbatur. Idem oris ſeu narium ſpiritu afflatus leviore deſcendebat, ſicut in bullientibus ollis ignea virtute contingit donec certo fundo certa quantitate conſediſſet. Huic tam inſigni poculo potus letifer ejusdem arte pincerne conditus infunditur, quem qui poſt regem bibiturus erat ori ejus applicari jubetur, ne quid ſiniſtrum ſuſpectari poſſit quaſi Rege preguſtante: namque credebatur quod arte exundaverat, ſolo anhelitu inferius deſcendere, quicquid peſtiferæ potionis erat infuſum, qui regi poculum applicuerat rege deosculato epotare juſſus eſt, ſic eluſos ſic intoxicatos ſecedere rogat, ex amica eorum collocutione inſperatam ſibi aſſerens ſomni ſurreptionem. Ebrii creduntur viri, quos veneni virus accubare cogit aut humi proſternit, quorum vitam citra noctis ejusdem conticinium dolor invaſit & extorſit, quorum funeribus & ſepulturam ipſe tyrannorum atrociſſimus denegat, probans eos celeſti ultione extinctos, qui amicum qui nepotem qui Regem heſternis exequiis ſepelire vivum intenderint, eamque ſub pretextu religionis impietatem ſtatuerint planctu ſeu fletu repentino, maleficorum interitu deſperata ſalutis gratia multisque aliis documentis detectam. At vero his patrie ſideribus occidentibus omnis gloria & decus polonorum occidit. Ille namque omnium ſpurciſſimus ſcorti gremio impudentiſſime infuſus luxu & ignavia totus diſſolvitur, nihil omnino beatius exiſtimans quam voluptatibus effluere, eratque illi ſententia celeberrima, ungamur ungventis optimis, repleamur vino,

carpa-

carpamus flores ne marceant. Hic primus in fuga, poſtremus in prelio fuit, ſemper in periculis timidiſſimus, in virtutum acies hoſtis audaciſſimus quas nunquam oppugnare deſtitit in omnibus flagitiorum armis exercitatiſſimus, choros celebrius femineos quam cetus coluit viriles. Igitur propter hec que enarravimus vitia peſte elangvit inaudita, ex cadaverum namque corruptela que abiici juſſerat inhumata, mures inſolite quantitatis ebulliere, qui eum trans ſtagna, trans paludes, trans flumina, trans igneos eciam rogos tam diu ſunt ibi inſectati, donec cum uxore & duobus filiis turre ejus vetuſtiſſima incluſis morſibus amariſſimis conſumſere.

Radice ergo pompilii ſtirpitus abſciſſa, initiatur principum nova ſucceſſio, quorum celſitudo tanto crevit ſublimior, quanto ſtipes creditur fuiſſe depreſſior, humillimi namque agricole filius Szemovith nomine, ſtrenuitatem induit, adoleſcentie induſtriam virtutibus perennatam, qui ſuis non ſuorum ſuffultus meritis, prius magiſter creatur militum, tandem regia fungitur Majeſtate, quod de ipſo ab ejus pene infantie crepundiis aſſerunt preſagium. Fuit enim quidam pauperculus Coſziſkonis filius, cui nomen Piaſt, cujus conjugis nomen Repica, ambo natura infimi, rebus exigui, eſtimatione nulli, ſed purioris vite ſtudio ſublimes, eſtuque miſericordiae adeo ferventiſſimi, ut eorum ſubſtantiola in ſe plerumque nulla, hoſpitalitatis vero nonnunquam augeretur impendio. Quis non miretur, quis non ſtupeat, vel augmento quid minui vel diminucione augeri, id enim eſt vel candore nigreſcere, vel nigredine candidari. Rem tam exilem rem pene nullam large fecit creſcere hoſpitalitas. A janua namque Pompilii regis duo fuere pulſi hoſpites, quos quidam angelos fuiſſe, quidam Johannem & Paulum credunt, horum ſubingredi non dedignantur tugurium quos domeſtici ſeu Coſziſko & Piaſt affectuoſe amplexos diſcumbere jubent factamque de ſua paupertate cenunculam & braxati modicillum liquoris ſeu cereviſie cum hilaritate vultus apponunt, orant ne quid ne quantum ne a quibus ne qualiter ſed quo exhibeatur affectu conſiderent, velle inquiunt nobis adjacet, ſed poſſe non, ſi de ſpicis cadentibus compilata veſtris nunc placeant deſideriis, quibus etſi dulcis ſapor deſit, ſaporoſa tamen affectionis non deeſt dulcedo. Ad hec illi, neque quid poteſt eſſe inſipidum, quod ſale caritatis conditur, quod favo cordis inſtillatur. Quid gratum, quid dulce, pium, quid grata voluntas, nam paleas operis aurea mens operit. Quibus conſidentibus augeri cepeaunt epule, liquor excreſcere, ut undique mutuata vaſorum capacitas ad inſtar mulieris Saraptane cujus oleo vaſa non ſufficerent receptui, que nec imminui potuerunt, quam plurimarum longiſſimis hauſtibus convivarum. Juſſerant nihilominus hoſpites regem Pompilium cum proceribus corrogari. Sub tanta igitur ac tantorum frequentia Szemovith ab hoſpitibus tonſuratur, futuri regis feſtivitas miraculi preſagio conſecratur qui tandem velut inter mortuos cineres ſcintillam gloriam polonorum non ſolum ſuſcitavit, ſed & immortales Polonie titulos Zodiaceis pene ſignis inſeruit. Hic enim Szemovithus non tantum eas quas pompiliana deſtituerat ignavia nationes revocavit, ſed alias aliis in-

tactas

tactas nationes ſuo adjecit imperio, quibus decanos, quinquagenarios, centuriones, cylyarchas, tribunos, magiſtros militum, urbium prefectos, primipilarios preſides, omnesque omnino poteſtates inſtituit. Non eſt ergo minimum, in humanis rebus minima negligere. Sepe namque de agreſtium fruteculis cedrina ſurgit proceritas, ſepe margarite inter arenarum minucias deliteſcunt, ſub cinere maximo virtus viget ſeintillarum, generoſa namque magnanimitas nec turritas ſemper urbes inhabitat, nec pauperum prorſus aſpernatur tuguria. Nobilitatur enim ſepe palmes, palmite vitis, nobilitat fontem fonte redempta ſitis. Nam ut nota de David, de Saule, de Jerobeam ſervo Salamonis aliisque quam pluribus habemus exempla. Romani denique tales Reges habuerunt, fructus igitur noſtri degeneres ex alti generis umbra gloriantur, de roſeo namque naſcitur & roſa & ſpina pungens. Ignoras ejusdem eſſe vitis vinum & acinum, neſcis ejusdem vene aurum & ſcoriam, paleam conſtat in grano concipi, & granum in palea, imo tales eſſe debere principes, qui cum paupertate noverint habere commercia, quia difficile eſt eum veverari virtutes qui ſemper proſpera uſus eſt fortuna. Unde cuidam a ſapiente dictum eſt, ſemper te puta miſerum. Errare ergo penitus fateor, qui aureum nobilitatis thronum in lumbis figunt non in pectore; verus nobilis eſt ille &c.

Szemovitho autem mortuo filius ejus Leſthko, Leſtkonis vero filius ejus Zemomisl ſucceſſit, quorum utrumque animi generoſitas robur corporis felices ad omnia ſuſceſſus reddidere inſignes, ut omnium puta Regum virtutes ſuis anteceſſerint virtutibus.

Zemomisl autem genuit illum famoſum Meſconem cecum ſeptennio educatum. De iſto Meſcone quomodo illuminatus eſt, quomodo ſeptem pellicibus omni nocte abutebatur, & quomodo ultimo duxit Dambrowkam filiam Ducis Bohemie, & qualiter per ipſam rex & populus converſus eſt ad fidem, require in annalibus polonorum.

Porro de tam generoſo ſtipite ſurculus vegetatior palma erupit fecundior Meſzconides Boleslaus, qui adhuc tenellas fidei primitias adhuc in cunis vagientem Eccleſiam tam tenero amplexu tam adulta fovit teneritudine, ut geminam Metropolin inſtitueret, unam Cracovie & aliam Gneſne & debitas ſuffraganeorum dyœceſes utriusque deputavit ipſarumque dyœceſium diſtinctiones certis limitibus inſculpſit. Hic ad cumulum religionis patrem ſanctitatis ac patronum beatum Adalbertum, in finibis Bohemorum affectum injuriis, devotisſime ſuſcipit, reverentiam exhibet, omni ſtudio veneratur. Quem ſanctus Pontifex ad plurima pauciſſimis evolutis diebus informat. De iſto Boleslao in vita & legenda Sti Stanislai multa inveni, qualiter Otto imperator eum videre deſiderabat & quomodo in Gneſnam ad limina Sti Adalberti veniens, eum imperiali diademate decoravit. Hujus enim univerſa ſupellex aut in omnium virtutum dotibus viguit, aut in armorum nitore ſplenduit, quibus Sileuciam, Pomoraniam, Pruſſiam, Moraviam, Bohemiam ſue ditioni ſubjiciens poſteris ſuis reliquit vectigales. Urbe

pragenſi ſecundariam ſui regni ſedem conſtituens. Hunos ſeu Ungaros, Croacios & Mardos gentem validam ſuo mancipavit imperio, immo Saxones indomitos adeo perdomuit, ut in ſala quam nos dotana dicimus flumine columnam fecerit ferream quaſi quibusdam certis gadibus ſui finem ſtatuens imperii. Hic Boleslaus pruthenos in tanta ſtravit copia, donec flumen cruoris concretum eſt coagulo.

Poſt mortem denique magni Regis Boleslai anno Domini MXXV Meſzko filius ejus regnavit, hic fuit ſenſu immoratus & a probitate patris diverſus, habuit uxorem ſororem Ottonis Imperatoris. Qui cum deſidia & deliciis reſolutus rempublicam ſequius adminiſtraret, & propriis non communibus utilitatibus intenderet, ceperunt extranee nationes que principi ſuo vectigales fuerant, minus timoris reverentie & honoris eidem impendere & tributa regionum denegare. Quia enim priſtina voluit eſſe contentus gloria, adeo non glorioſus civibus, nec hoſtibus viſus eſt terribilis: nam ſi qua cum quibuspiam geſſit prelia neceſſitudinis ea fuiſſe conſtat non virtutis, coacta non voluntaria, non quod nulla illi ſtrenuitas fuit, ſed quia diligentior conſervandi ratio quam inerat acquirendi libido. Satis enim abſurdum putabant cum in habendo certus haberi modus debeat, acquiſitionis tamen modum non ponere. Hic igitur ex imperiali Ottonis prefati ſorore inſignem genuit Cazimirum.

Ab iſto Cazimiro ſeries hiſtorie texitur in diverſo. Dicunt enim quidam quod poſt Meſzconis deceſſum uxor ejus filio adhuc immaturo regnum tradere non auſa, regni ſuſcepit gubernacula, que quia equo violentior viſa eſt, imo eciam patriae nobilibus quantumlibet primis quoslibet ſuorum Teutonorum lixas ſeu coquinarios preponere cepit a quibus profugata in exilio conſenuit, Cazimiro parvulo ſub fideli cuſtodia reſervato, qui dum in virile pene robur evaſerat vel excreverat, immerita exheredationis poena multatur. Timentes enim proceres ne maternas in ipſis perſequatur injurias, ipſum quoque non diſpari exilio propulſavere. Aliis aliter viſum eſt. Ajunt enim hujus matrem parvuli in ipſo partu expiraſſe, ipſum vero inter crepundia alterum Herculem novercales expertum delicias. Crepundia dicuntur a crepitu ſeu a ſono qui ob ſopiendos infantes perſonat. Meſzco enim uxore mortua, nunc parvuli exoſculans oſcillum, nunc tenerum demulcens pectusculum crebris anhelat flammis, tacitis ſcinditur ſuſpiriis, lacrymoſis effluit imbribus, mortue licet uxoris cineres vivo geſtat in pectore, vultus enim filii ſpeculum eſt matris ſue. Quod noverca advertens verſucia dolos verſat, intendit inſidias, puero necem intentat, ne pellex in ſe mortua in puero videatur ſuperſtes, ne non ſua ſoboles regni tandem ſucceſſione pociatur. Secreto igitur quendam a ſecreto lenocinativis circumſcribit ſponſionibus, circumvenit blanditiis, aureis perſvadet donativis, ut puerum morti exponat, efficaciſſima enim eſt benevolenciarum conciliatrix pecunia. Nec eſt quod non oporteat ab eo agi, qui auro allegativas & ponderat & inaurat ſententias. Vir tamen tam Deo quam ſcientia plenus ut pue-

rum a morte redimeret, in ejus mortem verbotenus conſenſit, quem ſub occiſionis ſimulatione tollens, cuidam cenobio committit alendum. Poſt modicillum vero tempuſculum decedit pater, proſcribitur noverca, regnum deſtituitur, patria deſolatur, ſeditiones craſſantur, urbes, municipia, domeſticis exuta preſidiis ab extraneis occupantur. Ceterum ille Vir fidelis depoſiti pueri non immemor quibusdam hujus reipublice amiciſſimis de puero ſuggerit, in quo unicum tanteque cladis ſingulare remedium divino numine proviſum, imo ſua ſervatum induſtria. Erat autem robuſtorum manus collecta, que unius tantum oppidi tuta preſidio contra omnium aſſultus hoſtium jam non regnum ſed exiles regni reliquias defenſabat. Horum igitur ſtudio patrie reſtitutus Cazimirus patriam hoſtibus eripuit vendicarias ab undique poteſtates eradicat, a ſingulis circumquaque provinciis principes abigit, abortivas & debitas revocat obſequelas, cumque omnes gratulatiſſimi ad illius nutum concurrerent ac omnes ejus adorarent Majeſtatem, ſola Mazovitarum provincia non ſolum illi non affavet, ſed atrociſſime bellum infligit, quam quidam de ſordido famulicii genere avo originario, ſed Vir facundus & ſtrenuus nomine Meczzlaus ambitione occupaverat. Hic exercitatiſſimorum cuſpidariorum contra Cazimirum armat exercitus, exceptis baliſtariis & ſagittariis bipennalibus & ſpatariis. Spata eſt gladius ab utraque parte acutus, que vulgariter ſzablą dicitur, imo infinitiſſimis tam equitum copiis quam peditum, quippe queſtus illi cauſa confluxerant, fortunam ſequentes non hominem. Quibus omnino confectis non minores virorum rurſus vires inſtaurat, quatuor maritimorum acies, totidem geticas & pruſſorum imo dacorum aut Ruthenorum larga adciſcens vel advocans ſuffragia, quos nulla occaſio nulla remoratur difficultas, ſed ut hoſticam odii rabiem & antiquam invidie ſitim cruore polonorum expleant. Sed quoniam a voto procul ſepe hominum vota recedunt, nec ſemper feriat quocunque minabitur arcus, Cazimirus omnes illos quaſi procella fulguris involvit, ambitionis autem ille princeps ad Getas anfugit, ubi celſiore dignitatis gradu ſublimatur. Gete autem non parva ſuorum cede ſaucii omnes in illum cauſam conferunt, omnium in eo necem ulciſcuntur, quem poſt multa demum ſupplicia eminentiſſimo affigunt patibulo, dicentes: Alta petiſti, alta tene, ut ſcilicet affectanti faſtigium celſitudinis vel morienti non defuerit. Turpe viris non eſſe viros, ſervos trabeari, turpe teri luteo candida colla jugo, item verſus: non pete quos natura vetat tranſcendere fines, nec pete quod juſto pondere non trutines.

Boleslaus Cazimiri filius ſibi ſucceſſit, cui largitatis cognomen authomaſica privilegiatum eſt excellentia, qui ſine largitate nullam eſtimabat hominis liberaliatem aut egere non poſſe niſi cum dandi non ſuppetat occaſio inquiebat. Hic dum quadam vice cenſus vectigales diſpenſari juberet, dum praeſtantiſſima queque manu larga magnifice militibus erogaret, quidam de circumſtantibus nunc exilem tenuitatem ſue fortune, nunc regie opulentie ſplendorem proſeqvens gemebundis ſuſpiriis, cauſam rex conjiciens, amictum clamidis ſibi detrahens, ac illius humeris inferens, ait: Tolle aurum quantumcunque libet,

tuisque viribus quantitatem compenſa. Tunc ille ſui oblitus, auri cupidus dum turgentiſſime veſtis inſarcinat ſinum, dum ſuis viribus non compenſat onus, dum a terra nititur attollere auri pondus, heu miſer expirat metalli pondere preſſus. Ab inſano enim non diſſidet qui prefert pecuniam vite non vitam pecunie, neſcio quem blandus flos rerum ſpirat odorem, ſi poſcis recte, ſi non quocunque modo rem. Proinde proavi ſui magni Regis Boleslai audaciam emulatus, prout erat vir belli gerendi ſtudioſus, terminos quos amiſerant predeceſſores ſui volens recuperare, & ad ſuum dominium reducere, decrevit milites regni Polonie reformare. Unde Ruſſie partibus imperioſe peragratis omnibus copiis diviciarum capi dedignatur, ſolo victorie triumpho ſpiritus erat contentus. Tandem conſopita ibidem omni rebellione quendam ſuffraganeum ſui imperii qui principibus Ruſſie preeſſet regem inſtituit. Deinde Ungariam adire parat volens etiam ſuper danubium metas regni polonie reformare, qui primos illi ad illos aditus obſtruere contendunt, ſed illorum corpora plus impedimento fuerunt ingreſſuris, que jam cruentus janitor enſis januas & aperiendo clauſit & claudendo aperuit. Trunci enim cadaverum gladio proſtrati etiam vias fecere invias, ut non ſine difficultate facultas patuerit transmeandi. Videns autem Salomon Rex Ungarie tam ſibi quam ſuis prelii imminere diſcrimen, pacem deprecatur pacis offert conciliamina centum millia talenta, cui autem Boleslaus, polonos, inquit, non delectat aurum habere, ſed aurum habentibus imperare. Turpius eſt enim precio vinci quam precio ſucumbere, nec regibus convenit inſtitoria commercia tractare, quibus opus eſt armis non opibus. Victus itaque Rex Salomon tam bello quam regno exceſſit, in cujus locum munere Boleslai Wladislaus alumnus polonie in regnum ſucceſſit. Accidit interea inſtructiſſimas auſtralium ac bohemorum & moravorum acies in campeſtribus polonie caſtra metari, quos Rex impiger a tergo precipitans omnem redeundi adimit facultatem. Cumque incautos occupare potuiſſet, abſit inquit ne noſtre titulus victorie quodam inſidiorum latrocinio fumeſcat, ſed ſe preſto nunciat, non inprovidos jubet eſſe, craſtino ſecum prelium commiſſuros. At vero ille leo bohemicus mox leonis ferocitatem deponens, vulpina induitur aſtutia. Indignum eſt inquit ut tanti regis ad tam exiguos inclinetur dignatio, quin potius in ſuorum tranquillitate caſtrorum craſtinum a bohemis preſtolari non dedignetur obſequium. Noctis igitur protecti clipeo fugam ineunt pro prelio, quos Boleslaus trans moravie fines inſectatur quaſi aper dente inſequitur fulmineo, non etati parcens non generi, non conditioni, omnes aut morti mancipat aut vinculis. Rurſus pomeranis in confinibus polonie predam agentibus, tanquam de reditu ejus dubitantibus, preceps advolat Boleslaus, predones ſpecioſi fluminis interjectu jam ſecuros conſpicatur & rapidiſſimo inſiliens torrenti, amor inquit catulorum feras venabulis inpingit, exclamant ſinguli, occupat extremos ſcabies mihi turpe relinqui. Multi ergo mole armorum preſſi fluctibus involvuntur, pauci cum Rege vix enatant, & licet inermes de armata tamen multitudine hoſtium triumphant. Ob hanc cauſam poloni plenis armis uti omiſerunt. Hujus inſuper Re-

gis Boleslai magnanimitas prelia & virtutes atque vitia, & quo modo Sanctum Stanislaum interfecit, in vita ejusdem martyris reperies. Hic quoque parricida truculentiſſimus factus ſicut Cayn vagus eſt profugus, ac divina ulcione perterritus, non minus patrie quam patribus inviſus in Ungariam ſeceſſit expulſus, quem non malitie conſciencia facit humilem, ſed ſcelerum audacia reddidit contumacem. Regem namque Ungarie Wladislaum cujus nuperrime prememineram devotam ſibi exhibentem reverentiam, immo pedeſtri veneratione occurrentem, Boleslaus tanto ſupra ſe faſtu eripitur, ut digno illum oſculo dignari contemſerit. Ille inquit noſtrarum opus manuum eſt. Non autem competit opifici ut ſuam colat aut revereatur creaturam, nec decet ut vir fortis exulatu miſerior, vel caſu videatur dejectior. Itaque Wladislaus arrogantiam ſuperciliorum Boleslai non ſolum paciens tolerat ſed perbenigne amplectitur, officioſiſſime excipit, omni ſtudio veneratur, denique Boleslaus omnem ſacrilegii ſuſpicionem a ſe adeo extenuerat, ut non ſolum ſacrilegus ſed ſacerrimus ſacrilegorum ultor apud nonnullos cenſeretur, nam quod mulieres ingenue ſervili proſtitute ſunt inceſtui, quod factio in dominos conſpiravit, quod tot capita ſuppliciis expoſita, quod Regis denique conjuratum eſt excidium, in ſanctum refudit antiſtitem Stanislaum, adſtruit illum perdicionis originem, totius mali radicem, pontificem illum non pontificem, paſtorem vocat non paſtorem, preſulem a preſſura preſulem, epiſcopum ab opibus, non epiſcopum, ex ſpeculatore ſpiculatorem fuiſſe, & quod pudor eſt dicere, illum aliorum libidini frena laxaſſe quia ſociis ejusdem criminis deeſt accenſator. Quid plura, omnem ejus diſciplinam omnium aſſerit fuiſſe diſciplinam. Qiud ergo inquit eſt amiſſum, ſi regis dedecus, ſi patrie prodigium, ſi religionis ſubmotum eſt ſcandalum, ſi reipublice extinctum eſt incendium. Illis figmentis apud ignaros aliquantisper derogatum eſt martyri, non tamen ſanctitatis abrogari potuit autoritas. Sub nube namque ſol plerumque deliteſcit, nube nunquam extingvitur, non multum vero poſt inaudito correptus langvore in amentiam incidit, & mortem ſibi conſcivit, ſed & unicus filius ejus Mieſzko in primo pubertatis flore veneno emarcuit, & ſic domus tota Boleslai corruit, & ſancto penas Stanislao exſolvit, quia ſicut nullum bonum irremuneratum, ſic nullum malum impunitum. Utinam hic Boleslaus culpam ſuam recognoviſſet & dixiſſet cum piis, confitebor adverſum me & tu remiſiſti. Vis abolere nefas aperi ſcelus, indica culpam, culpa ſepulta reum prodit, rea prodita ſolvit, clauſa cutis virus nutrit aperta fugat. Sicut igitur hic Boleslaus corpus ſancti Stanislai in multas partes ſecuit, & in omnem ventum diſperſit, ſic dominus regnum ſuum confudit, & plures principes in eo dominari permiſit, & ſicut idem corpus deus redintegravit, ſic futurum eſt ut idem regnum deus in ſtatum priſtinum reſtituat.

Proxime autem regnavit frater Boleslai minor Cazimirides, non minus ſtrenuitate militie illuſtris quam religionis devotione inſignis, cui de humana nihil eſtimatum eſt felicitate defuiſſe, excepto quod uxore ſterili parmanente diu ſollicitatum prolis legitime ſolacio anxie-

tatis carentia defraudavit. Qua ex re meſtiſſimus cum ab homine conſolari non poſſet divino tandem revelatur ſolacio. Qvaſi enim celeſti eruditus oraculo, Francone antiſtite ſuggerente auream inſtituit effigiem quam cum regie celſitudinis donativis beato Egidio in provinciam delegavit, ut ejus interceſſione prolem ſuſcipere mereretur. Propoſitum delegantis hac epiſtola exponente.

Patrum reverendiſſimo beato Egidio Abbati cum univerſitate cenobii Wladislaus Rex Polonorum & conjux Regis devotionem reverentiæ filialis. Etſi ulla eſſe poſſit, perfecta eſſe non potuit humana felicitas, nemo enim tam felix eſt qui non cum aliquo ſue felicitatis parte rixetur. Et nos quidem de noſtri glorioſitate ſangvinis, de corporis animique elegancia, de dignitatis celſitudine, de fame gloria, de omnimoda omnium gloria & copia gloriari non oportet, nec expedit quidem, ſed illud humillime illacrymari convenit, quod inter florentiſſimarum rerum ſucceſſus quidam nobis datus eſt ſtimulus, qui nos colaphizat ſobolis infecunda ſterilitate, que non ſolum paternum tollit ſolatium, ſed & que quoddam ingerit orbitatis opprobrium. Proinde coram vobis patres ſanctiſſimi noſtra proſternitur devocio, ut hoc ſterilitatis infortunium veſtrorum meritorum tollat interventus. Non enim eſt impoſſibile apud Deum ullum verbum. Intellecta itaque tota devocione Regum conjugum ſacer ille conventus triduanum orationibus continuat jejunium, cum hac pſalmodie & precum inſtantiori vigilantia. Spes utriusque ſpei favus & ſapor eſuriei, creſcit ſepe tuo nectare noſtra ſitis, nux nuce noſtra caret cedrusque virentior aret, flos alit examen, flos ſine flore tamen, anime cur heres, tribulis datus eſt rubus heres. Anime ne ſoboles, ne deſit maſcula proles, vota precesque notes anime namque potes, corna parit cornus cur ſine ſtipite ſumus. Nondum cenobiſtarum expleta fuit oratio, Regina de conceptu jucundatur, nondum legati redeunt & Regine fecunditas predicatur. Oritur namque ſidus rutilantiſſimum, aurea exſculpitur columna, tertius naſcitur Boleslaus, cujus ex partu langvore ſuſcepto mater fato eſt intercepta. Fuit itaque gaudium merore turbatum, & meror gaudio dulcoratus. Ne Wladislao diu moleſta eſſet conjugalis viduitas Regis Ungarie Salomonis relicte tertii Henrici Imperatoris ſorori conjungitur, de qua tantum tres filias generavit & licet eſſet jam grandevus noluit tamen ignavia marceſcere. Sed ad hoſtium undique rebelliones excitabat crebrius induſtriam militarem & cum plerique conſulerent parcendum eſſe etati, reſpondit: animus mihi de ſenectute controverſiam facit, hunc ait eſſe florem ſuum, nam cum decrementa ſentiam in corpore, in animo non ſentio. Aurum antiquitate probari, virtutes augeri ſenio, non minui, omniumque rerum exercitamina virtutis eſſe non etatis. Robuſta namque manu maritimas occupat provincias, quibus ut rebellandi amputaret facultatem, tutiſſima illorum municipia excremat, prefectis propriis conſtitutis. Sed quia cervix indomita, dorſum petulans jugum detrectat, onus non ſuſtinet, omnes polonorum prefectos pomerani excutiunt, illos exterminant. Qua ex re animoſior Wladislaus, ſeveriore dignos animadverſione reviſit,

quorum populoſiores ſinus populatus eſt, cum infinitis captivorum millibus & preſtantiſſima eorum ſuppellectile revertitur. Erat quoque huic Wladislao naturalis quidem ſed illegitimus filius, nam ex ſcorto ſuſceptus, qui ob materni notam pudoris velut novercales declinaret inſidias, in latebris exilii diutiſſime delituit, qua ex cauſa Zbigneus eſt nuncupatus. Hic acytophel conſilio ducis Bohemie Przeczslai in imperium ſubornatus. Exauget illi fiduciam pater decrepitus ac frater immaturus ut regni pro tempore gubernacula tueatur, affluunt flagitii fomites, ſceleris incentiva, transfugæ atrociſſimi, quorum quosdam invidia Setegii vel Segethonis alios truculentia fecerat extorres. Iſte quidem Setegius cum polonice princeps eſſet milicie non juſte rempublicam diſpenſabat, qui non quid rectum non quid virtus poſtulaverat, ſed quid pecunia juſſerat, non quantum quis meruit, ſed quantum quis dare potuiſſet inſpexit. Hi cum Preſide Sileuciane provincie cujus nomen Magnus contra Wladislaum conſpirant, & Zbigneum Wratislawie principem conſtituunt, quia vero id ſine patris conveniencia preſumtum eſt, non moneri pater non potuit, Regina namque & Setegio flammas indignationis aggerentibus, Regem Ungarie Wladislaum & Bohemie ducem inducunt per nuncios, ut Wladislao contra filium preſtent auxilium. Conſtantiſſime ergo illorum reſiſtente conſtancia, ſeu potius urgente inſtantia, fedus coactus eſt paciſci cum filio, qui in ipſo pene pacis primordio prorſus exſpiravit. Nam ut filialem apud ſe pater experiretur animum extreme valetudinis langvorem ſimulat filiumque quaſi quoddam fati ſolacium acciri jubet. Cum enim humanum ſit aliene calamitati compati, nullum tamen in Zbigneo intellectum eſt ſaltem fictum indicium compaſſionis, immo in tympanis & tibiis ſimphoniſtarum choreis & diverſis hiſtrionum preſtigiis aulam Regis pompatice ingreditur, ut ipſe arrogantie faſtus de ipſo preconari videatur illud: filius ante patrem patris ſuſpirat in annos. Agnoſcit igitur pater affectum filii ſed paterne ignoſcit injurie, ait ille ex induſtria in rebus jucundiſſimis non injucundum patris attuliſſe ſolacium, nec enim flamma flammis extingvitur nec meror merore eximitur, preſertim cum ex hilaritate medici eger nonnunquam hilareſcat. Verum ut illius tumorem ſuperbie ſi omnino explodere non poſſet aliquatenus ſubverteret, tum illi fiduciales alas amputat, robuſtiſſima illius caute ſolvit preſidia: nam primos Sileuciorum, qůos viribus ab illo ſequeſtrare non potuit, arte ſubducit. Unde graſſantius in patris injuriam conſurgit, Wratislawia enim transfugio ſecedens in Kruſzwiciam ſe recepit, ſex Kruſzwicienſes acies inſtruxit, pomeranorum non parva venatur & impetrat ſubſidia, cum patre tandem congreditur, dimicat, ſuccumbit, & carceris ergaſtulo mancipatur, ibique tanta proſternitur hoſtium infinitas, ut non ſolum Urbis ſed campeſtrium amplitudo lacuum ſit impleta profunditas, adeo ut omnium ibi natantium piſcium eſum longa ſucceſſione temporis nonnulli horruerint. Quanto autem Zbigneus in patrem erat atrocior, tanto in illum pater pietate propenſior, quod non ſolum carcere ſed patrie poteſtate emancipat, coheredem eum inſtituit, certam illi ab herede legitimo portionem diſterminat. Hic Wladislaus pius princeps ad hono-

rem Sancti Venceslai Martiris Ducis Bohemorum eccleſiam in caſtro Cracovienſi fabricavit, Canonicos inſtituit & magnificencia regali dotavit. Hic Anno Domini M. C. ſecundo vita deceſſit, ſibique Boleslaus ſucceſſit.

Igitur Boleslaus licet adoleſcentulus moribus tamen maturus, Zbigneum maternis virtutibus anticipat, gratiſſima morum venuſtate antecellit. Cui frater invidens diverſa adverſus eum ubique machinatur Setegius vero certis inſtructus prognoſticis & indiciis ſue in illo declinationem verſucie luxiſſe fertur. Ecce, inquiens, hic poſitus eſt in ruinam multorum & in ſignum cui contradicetur & tuum imprimis animum Setegi pertranſibit gladius, quod factum eſt. Zbigneus namque factionem contra hunc ſeditionis elicit, odii flammas conflat, diſcordie fovet incentiva, quæ Boleslaus non tantum ſedat, ſed & ſementivam malorum eradicat originem, Setegio enim proſcriptioni expoſito partes regni diffidentes conciliat. Hic quoque Boleslaus in tantum patrem dilexerat, ut in aurea lamina nomen patris inſculpſerit, quod aurea catena a pectore in collum dependere juſſit, ut quaſi patre ſemper preſente filialis jugum diſcipline paterne memoriam reverencie ubique circumferret ob fugium vitiorum, & virtutum cuſtodelam, quaſi lamina ſuggerente ſic loqueretur tanquam ſi pater audiat, ſic loqueretur tanquam ſi pater propius exiſtat. Sic age turpe ſiquidem eſt ſub patris conſpectu agi turpia aut loqui ſcurrilia. Eciam in veſte atra Boleslaum patrem continuo luxiſſe quinquennio, hoc denique poſt mortem patris quicquid filiacionis debuerit patri in fratrem transtulit, licet illum noſſet ſuo inſidiari calcaneo nam ut ex multis pauca perſtringam, pauca referam. Pomorani enim juxta Zantok extruxerant municipium, quod Zbigneus expugnare contendit, ſed ignominioſe abigitur. Boleslaus vero non ſolum illud ſolo eqvat ſed eciam Miedzyrzecz & alias illorum urbes evincit, rurſus Zbigneo per invidiam muliebriter illacrymante, Parthi fines polonie populantur, quos trans flumina tandem inſequitur Boleslaus & hoſtes fundens captivos ſuos enſe redemit, & predones in prede predam convertit, que & alia animo Zbignei invidie fomitem injecere. Tunc rogatus fratris intereſſe ac preeſſe nuptiis, Bohemicam inſtruit rabiem, ut Boleslao connubialibus licet feriante ceremoniis, regnum ejus graſſantius predaretur ſed novus illos ſponſus vino cruoris inebriat, qui ut acrius hoſtilem compeſcat audaciam, tres electorum turmas in Moraviam deſtinat. Hi dum infinitas predarum agunt manubins, ducem Moravie Swantopolk a tergo conſpicantur. Manubie ſunt prede que manu ducuntur, nec liquido claret utrumne tygridem orbatio catulorum ſtimulancius urgeat, an leonem prede aviditas urgentius inſtimulet; lugendus tamen utrinque conflictus, vix multo utrorumque ſcinditur diſcrimine. Hic militie princeps Wislaus manu mutilatur, pro qua ob virtutis inſigne, auream illi Boleslaus reſtituit. Tanta denique Boleslaus percrebuit virilitatis conſtancia, ut omnes illum, & omnes illius animoſitatem hoſtes obſtupeſcerent, ut martis alumnus, tygridis filius, leonis rabies, draco flammivomus, ictus fulminis, ſeu quovis alio ferocitatis voca-

bulo a diverſis nuncuparetur. Tantus enim illius animo belli gerendi amor inerat, ut graviores putaret ocii torpedines, quam morbi langvorem. Nec minus illum exercuerunt fratris inſidie, quam hoſtis extraneus. Quia tamen Zbigneus fraterne virtutis odio cum ſuſpecto nocendi deſiderio amorem ſimulat, fidei conſtanciam paciſcitur, jurisjurandi execratione ſe invicem obſtringunt, neutrum ſine altero de pace vel hoſtilitate cum quibusdam decernere, utrumque alteri ſalubritate conſilii armorum promptitudine quam fideliſſime ſuppetere, quorum animo illud unanimiter inſedit imprimis, ut maritimas occuparent provincias, ut Pomeranorum improbitas retundatur. Itaque locum, tempus, modum contrahendi ordinandi & educendi cohortes eligunt, quod in ipſo pene deliberandi auſpicio prodicionis ille princeps Pomeranis fertur prodidiſſe, nam nec ſponſionem condicti preſtitit, nec ſuam aut ſuorum copiam collibito pacto exhibuit, immo fratris promtiſſimos tam amicos quam obſequiales occulta perſvaſione diſtorſit. Interea Pomoranorum latrunculi polonie confinia valida manu inſiliunt, flammas injiciunt, predas abigunt. Boleslaus vero vix tale ſuſpicatus intrepidus, tandem cum paucis advolat, hoſtes aggreditur: quantus furor quanta temeritas, octingenti duntaxat viri cum tribus millibus concurrerunt. Sed quid hi ſunt inter tantos, ceduntur quidem & cedi malunt quam cedere. Sed hoſtium ſtrages decuplatur, nec ceſſat leo rabidus turmas transgirare, cuneos perſcindere, donec ejus dextrarius procubuit. Tum demum plures pedeſtri proſternens acie virtute indefeſſa fit hoſtibus hoſtis infeſtior, nec ſacri comes palatii Scarbimirus inſtat ſegnius, tanto acrior quanto cruentior. Erat enim dextro lumine tenebratus, ſui quoque victores hoſtes per omnia cedunt & ſternunt, quorum quidam non victi ſed vincendo fatigati inter ſtratorum catervas hoſtium obdormiſcunt. Exemplum Codri de quo fertur quod Dorenſes contra Athenienſes preliaturi, oraculum conſuluerint, quibus reſpondetur ſi hoſtium occiderint regem, ipſi vincerentur. Quo cognito Rex Athenienſium Codrus permutavit habitum, pannoſus caſtra hoſtium ingreditur, militem quendam ex induſtria falce vulnerat, & ſic a vulnerato occiditur. Hoſtes vero cognito corpore, ſine prelio diſcedunt. Sic virtus regis proprie diſcrimine mortis patrie ſalutem mercatur. Sed redeamus ad propoſitum. Rumore tandem de prelio diffuſius perſtrepente, fit ad principem ſuorum undique concurſus, nec deſunt qui regem redarguant cur tanto periculo ſe ſe ingeſſerit, nec decere ducem examinis uſpiam evolare ſine examine. Ipſum vero reſpondiſſe ferunt, cotem eſſe principem debere qui ſuos exacuat non obtundat, & dum inter hoſtium cadavera, cadaver equi inſpectarent; ecce inquiunt, ecce Alexandri Bucephalus, quem rex Indorum Porus occidit. Boleslaus vero torrentis inſtar ſpumantiore impetu ſic obice torrentior, ſic a correptione animoſior eumque ultum ire avidius parat. Zbignei rurſus dolo acciti Bohemi pre foribus nunciantur, Rex deliberat iterum vetus inſectandus ſit hoſtis an novo occurrendum, hoc tutius eſt, illud honeſtius, neutrum tamen negligit fidelis Machabeorum imitator. In duas ſiquidem partes ſuos dividit, quorum unam in pomoraniam deſtinat, qui de Pomeranis

victoriam referunt. Ipſe vero de Bohemicorum hoſtibus triumphat. Sic etiam injuriam propulſat, patriamque conſervat. Eſt eciam oppidum Kozle conterminum Bohemie finibus, quod non ab hoſtibus ſed incuria neglectum igne concrematur, veritus Boleslaus ne ab hoſtibus muniendum occupetur. Illuc itaque ocius accelerat, fratris ope preſidium expoſtulat, itaque talia ſcribit: Nimis delicatus eſt qui honorem appetit ſine onere. Nam & ſi honeſta ſit certe onuſta eſt principandi ſolercia, & nos quidem ejusdam horti pariter carpimus delicias ſed modo diſpari hortum excolimus, cum ratio exigat ut quem utilitas delectat, difficultas non terreat. Decebat enim in publicis adminiſtrationibus, in reipublice patrociniis eum precipue principari, qui primogeniture preminet principatu. Quod ſi laboris ſarcinam declinare potius eligis, meorum ſaltem ac meis confave laboribus, quos omnium commodis intellexeris accommodatis. Penes te itaque ſit jubendi autoritas, penes me ſit obſequendi promtitudo. Turpe eſt enim luctari cum onere quod ſemel ſuſceperis. Ad haec ille ſiniſtimus interpres ſtomachatur, conſternatur, legatos convincit vinculis, occaſiones contra ſe queri qveritur, Pomeranos, Bohemos, Ungaros & Alemannorum Duces in fratrem ſuſcitat, ut illum a regno exterminent. Horret his auditis Boleslaus, & heſitat quos prius expectet, aut quos prius impetat hoſtes. Verum divino coadjutus auxilio, hoſtibus devictis fratrem inſequitur, qui in fugam verſus Mazovie carectis delituit. Quem Boleslaus omnibus ejus municipiis interceptis urgentiſſime inſectatur, donec humillime provolutus vix optiniatum tandem impetrat interventu, ut miles ſaltem fratris non regni coheres eſtimetur. Sed nec tunc inolite fomes invidie aut perfidie in illo ſopiri potuit, nec tunc extingui fomite caritatis. Non eſt enim facile a conſuetudine revocari, cum conſuetudo ſit altera natura. Itaque ſub amoris pretextu tendit laqueos, fodit pedicas, torquet pendilia, caſſes jacit, hamos ineſcat, armenta toxicat, & omne doloſitatis artificium experitur. Noviſſime fellis acerbitatem virus evomit peſtiferum. Nam Boleslao in maritima profecturo cooperator ille iniquitatum fratri ſuo, ſuorum ſubtrahit adminiculum, hoſtium ſubſidio ſe ipſum impendit. Quem ut dolum tegeret, arma mutat, caſtra fratris ingreditur, quibus nocte exploratis cum hoſtibus impetum facit. Boleslaus interea extra caſtra excubias obſervans, a tergo igitur hoſtes occupat, quibus fuſis magiſter doli caſu dejecta caſſide deprehenditur, capitur, coram magiſtratu Majeſtatis inſimulatur & accuſatur, quod civium caſtra cum hoſte impegerit. At ille, non inficior me cum hoſtibus imo ante hoſtes ingreſſum, quia impetum precurrere contendi. Vix hec verba finierat, cum omnis pene concio cuſpides in Zbigneum attollit, exclamatque non minus eum configi, ſed morſibus amariſſime debere diſcerpi. Quo vix tandem ſedato tumultu, juris non imperitus quidam inqvit, iniqvum eſt ut pena ſententiam anticipet. Nos vero nunquam ſententiam ferre poſſumus, niſi contra convictum aut ſponte confeſſum, ut eſt ille verſus: ſit piger ad penam princeps, ad prelia velox. Sane hoc ipſum cenſere magiſtratui placuiſſe ipſa rei evidencia indicat, & executio demonſtrat. Nam civium ille atrociſſimus hoſtis, reipublice inutilis, perpetuo proſcribitur exi-

lio, non enim heres debuit eſſe filius ancille, cum filio libere. Sic ergo non tam Zbigneo natalium ſuſpicio, quam flagitiorum obfuere piacula, nec enim foveri debet in plantario carduus, nec aſpis in gremio. Igitur peſte ſedicionis excuſſa, hoſte patrie profugato ſereniſſimum Boleslai ſydus rutilantiores virtutum radios expandit, peramplisſimis enim Pomeranorum municipiis aliis ſubactis, aliis vero ſe ſe ſubdentibus, Albenſes reſiſtere contendunt, quos urbi famoſiſſime que eſt Pomeranie centrum incluſos, obſidione cingit, obſeſſis duo ſcuta oſtentans unum album alterum rubrum, quod inquit iſtorum eligitis? At illi album, quia in ſe pacis blanditur delectamentum, illud terribilem cruorum inducit aſperginem. Quibus ille: Si ergo album vultis eſſe, noſtra ſub dicione cadite, ſi autem novum nomen illi cruor inſcribat, ut non alba ſed cruenta nuncupetur. Pertinaciore illi reſpondent contumacia, imo, inquiunt, & alba vocetur & cruenta, ut alba predicet noſtre ſucceſſus victorie, cruenta vero tuorum preconetur occiſio. Ad hæc Boleslaus: Heu proceres, audent iſti plagioxipi imo ſervi eciam probris contendere, derideo quod talpa lyncem, limax tygridem, in conflictum aquilam provocet ſcarabeus: ſed viri armis, non verbis, opere opus eſt non querela. Proinde ante omnes evolat vallum aggeris impetu tranſſilit praecipiti. Inauditam audi viri audaciam, non illum hoſtium multitudo, non tantus armorum fragor, non vis telorum terret, non ſaxorum moles obterit, primus valvarum poſticum perfringit, primus urbem ingreditur, tot millium cohortes hos cedit hos ceſſim diffugere cogit. Omnes denique velut cujusdam Majeſtatis terrore perculſi armis abiectis proni procidunt, non ſibi ſed parvulis ignoſci poſtulant, illorum non ſuam vitam deprecantur, ajunt ſe ſe crucibus magis quam venia digniſſimos. Cumque nec ætati eſſe indulgendum nec ſexui precipuorum juberet ſententia, indulgentiſſima tamen principis clemencia omnibus parcit, omnibus ignoſcit, juſtiorem enim cenſuit piam humanitatis indulgentiam, quam diſtrictam ſeveritatis ulcionem. Que res non modicum apud hoſtes eciam illi favorem peperit. Sua etenim ſponte tam Colbergenſium quam alie maritimorum provincie & cuncti provinciarum preſides, non cervicoſe ut quondam, ſed obnixis occurrunt cervicibus, & illius ſeſe obſequele humiliter proſternunt. Mitibus eſt mitis capris leo tygribus aſper. Imperator interea quartus Henricus Ungariam ingreditur, cujus copiis Rex Colomannus ſe longe videns diſparem, Boleslai poſcit fulciri ſubſidio hujusmodi delegata epiſtola: Invictiſſimo Polonorum ac maritimorum Monarche, Colomannus Rex Ungarie. Quicquid amiciſſimorum intimo ratio ſvadet, honeſtas poſtulat, ut communi convenienter occurratur incendio. Nam tua res agitur paries cum proximus ardet, & neglecta ſolent incendia ſumere vires, nec enim Allemannorum locuſte ob aliud ad noſmet usque irrepſere, quam ut noſtris depaſtis, quod abſit, vineis, veſtris inſiliant facilius olivetis. Ad quod Boleslaus: in mentem quidem veniunt illi familiares Pitagorei, qui pro invicem moriendi pio contendere cartamine, quorum dum neuter ſibi parcit, ab alio patitur diſcrimen. Pragitarum igitur urbes aggreditur, proſternit, populatur, quorum & adminiculis & ſtudio prelia intellexit

in Ungaros conflata. Sic ab amico in ſemet ipſum hoſtem detorquet, vias occupat, redeuntes preſtolatur, intrepidus confligit, victorioſe triumphat. Rurſus Boleslaus propter injurias Pomeranorum ad maritima ſe transfert. Eſt autem Cruſzwicie beati Viti baſilica, in cujus pinnaculo quidam ineſtimabilis & habitus & forme viſus adoleſcens, cujus inedicibilis ſplendor non ſolum urbem ſed urbis quoque paſcua illuſtrabat. Hic eo deſiliens cum aureo pilo cujus eminus virtutem cernentibus & tante rei miſterium tacita veneratione ſtupentibus, donec ad urbem Nakiel pilum quod geſtabat quaſi vibrans diſparuit. Hac ergo fiducia animatus Boleslaus urbem obſidionibus includit, fundibulis circumvolat, tormentis concutit, aſſultibus impetit, que hoſtes cernentes dolo contendunt quod virtute nequeunt, treugas deliberandi petunt & impetrant, ſuis interea intimant ut inſidias parent, occupent incautos, vincula preſto habeant, quibus quos velint vinciant. Cumque Boleslaide in nocte S. Laurencii ſecure quieſcerent, improviſa de veprium denſatis peditum proſiliunt agmina, trans numerum locuſtarum omne planum cooperientes, quod ilico Boleslaus advertens: Video, inquit, o proceres capreas non inviſas leunculis. Hoc dicto ipſe primus aſſiliit, deinde milicie princeps irruit Scarbimirus, auget leonibus famem animoſitas, fames animoſitatem irritat, hoſtes trucidant, proſternunt & enervant. Dedignatur enim leonis generoſitas gregis imbecillis ſangvinem lingere, ſola ſtrage cadaverum delectatur. Turpe putant Lechite hoſtium occiſione intermiſſa ſpoliis occupari ſacrilegis. Quid ergo lingvis hominum loquar, nec tante cedis modum verbis aſſequor.

Fuit autem huic genti jus quondam ex antiquo perſolenne, & quaſi conſvetudinis autoritate approbatum, ut quisque potentum quorſumlibet vergens pompatice pauperum non tantum paleam, fenum, ſtipulam, ſed annonam horreis ac tuguriis perfractis predative diriperet, & depaſcendam ac proculcandam profunderet. Erat & aliud non diſſimili temeritate antiquatum, quociens a potente aliquid & exilis legatiuncula ad quemlibet eſſet inſtanter perferendium, juſſi ſunt ſatellites veredis pauperum inſilire & unius hore momento infinitiſſima ſtadiorum millia curſu citiſſimo transvolare, que res ſcilicet ſeu podwodi multis multo ſunt periculo, quorundam caballis irremedibiliter enervatis, quorundam penitus extinctis, nonnullis cum probati eſſent, irrevocabiliter abductis. Erat & tercium peſſimum inolite conſvetudinis piaculum apud principes pertinaciter uſurpatum, ut bona decedentium pontificum quaſi quodam predocinio diriperent, aut principali fiſco inferrent. Igitur ne talia de cetero fiant, jubet equitatis princeps ſub anathematis interminacione inhiberi. Addunt ſacris inſtitutis inſulati viri ſacri antiſtites, videlicet Sbislaus Archipontifex Gneznenſis, Getko Cracovienſis, Onolphus Cujavienſis, Lupus Plocenſis, Gaudentius Lubucenſis. Eſt autem octenarius primus ſolidorum numerus inter pares & numerus beatitudinum, quod ſignat ſolidas eſſe debere conſtitutiones & beatos fore eorum cultores. Omnes una voce pronunciant: qui pauperum annonas aut vi aut ingenio acceperit, aut ac-

cipi juſſerit, anathema ſit. Qui legationis occaſione cujuslibet angariaverit vel angariari juſſerit quadrupedem, anathema ſit, excepto uno caſu, quando vel hoſtis alicujus provincie imminere nunciatur. Nulla eſt enim injuria, ſi tunc utcunque proprie ſaluti conſulitur. Rurſus qui defuncti preſulis invaſerit bona aut invadi juſſerit, ſive princeps ſit ille, ſive quelibet illuſtris perſona, ſeu quivis officialium ſine omni exceptione anathema ſit. Simile puto judicium de militibus, qui mortuo ſacerdote ſtatim omnem ſupellectilem ejus diripiunt. Item qui ſpoliatum ſuſceperit pontificium abſque ſublatorum integra reſtitutione, aut certa reſtitutionis ſponſione, quique hujus ſacrilegii conſentaneus, ſimiliter innodetur anathematis participio. Approbant univerſi & vocibus gratiſſimis aſtruunt tam ſacrarum prohibicionum ſanctiones. Miſſis itaque ſolennibus ad curiam nunciis Apoſtolico tercii Alexandri privilegio prefata ſtatuta perhenniter roborant. Iſte Cazimirus quocunque ſe vertebat ſemper proficiebat. Nam & Meſzko exul ſibi humili conciliabat deprecatione, ſupplicabat ut ipſum ſaltem ad patriam reſtituat: minus inquiens miſerum eſt domeſtico teneri jugo quam exilii calamitate tabeſcere. Tutius quoque dicebat, & magis honeſtati conſentaneum ipſum ſuorum fulciri nepotum obſequiis, quam ſtipari proditorum inſidiis, ponit inſuper illi ante oculos tremule ſenectutis defectus, luctuoſum nurus eiulatum, funebria neptum lamenta, crebros nepotum ſingultus, quibus melius eſſet occiſis gladio quam fame interemptis. Meminiſſe illum rogat, qua teneritudinis dulcedine apud ipſum ejus tota adoleſcentia, quo ſtudio quo amplexu educata juventus. Fateor inquit Cazimirus ac ſemper fateri velim, fratris me ac nurus immortalibus obnoxium beneficiis, nec injuſta eſt eorum poſtulacio, quae non niſi debitam patrimonii reſtitucionem continet. Suboritur interim murmur & ſedicionis fit inter proceres tumultus, ajunt enim: En quod verebamur accidit, raro corvum corvus exoculat, raro frater fratrem ſtirpitus exterminat, noſtrum hic agitur diſcrimen, noſtrum evidentiſſime periculum. Hujus enim reſtitucio noſtrum eſt exterminium, quia non differet cum tempus acceperit atrociſſimam injuriarum exercere ulcionem. Quid ergo? eodem certe ſarculo amputare convenit ejuſdam ſarculos propaginis, fruſtra enim extirpatur carduus ſocia manente radice. Intellecto autem Cazimirus tam diſcriminoſe ſedicionis exitum ad ſe devolui, aſſerit non animo reſtituendi fratrem hec a ſe dicta, ſed ſtudio experiendi animos ipſorum, acceptiſſimamque ſibi eſſe eorum erga ſe conſtanciam. At vero Meſzko ad Imperatoria convertitur ſuffragia Frederici. Sic cum ibi nihil prorſus proficeret tale ſibimet reperit conſilium. Cuidam enim ſuorum quondam queſtorum per maritima vectigalium filiam matrimonio copulat, cujus ope non obſequelam quidem, ſed amicitiam ac favorem maritimorum aſſequitur. Horum fiduciam cum aliquantulis armatorum noctu ſubrepit metropolin diluculo circumſilit, expugnat, victor ingreditur, omneſque patrimoniales municiones recuperat, fratre ſcilicet Cazimiro ocultiorem illi recuperandi opportunitatem largiente qualem minorum acceſſu ſpes majorum ſepe comperitur. Accedit illi animus principatum recuperandi, diuque inter ipſos nunc verbis nunc armis

armis altercatur. Sed Meſzko longe viribus inferior plus ingenio, plus arte contendit ac dolo. Cazimirus vero Ruſſiam ingreſſus, urbem Breſtenſium munitiſſimam acquirit. Advolat interim quidam velitum & curſorum, qui non pauca agmina hoſtium non prenunciat quidem, ſed cominus & prope imminere denunciat. Adeſt namque Dux Uſevoldus Dux Belzye cum principibus Laodimirienſium, cum Halicienſium precipuis, cum electis Tybianorum turmis, cum Parthorum millibus, quorum occurſui mox belli claſſicum intonare jubet Cazimirus, arma capeſcit, bucefalo nigro inſilit, in hoſtem non ſuſpicatum intrepidus ac improviſus progreditur, ſuis interim undique paſſim diſperſis. Stupenda prorſus audacia in manu tam parvula ſuis penitus ignaris, illud prominencium nemus lancearum, illa barbarica peltarum inſignia, illam armorum truculentiam, illas ordinatiſſimas acies, cum tot hoſtium millibus pene ſolus congredi non formidat. Inſtar igitur fulminis prima partis adverſe acie fuſa muros armorum ferreos cuſpide transverberat, enſe hoſtes quaſi agri fenum humi proſternit. O rem non minus fidei quam ſtuporis plenam! non illum tantus robuſtorum impetus obruit, non tanta mucronum acies transverberat, non tam denſa telorum ſpicula configunt, non tam robuſtorum vires obruunt, imo hoſtes transvolat dente fulmineo. Qui non victus nec vincendo fatigatus frementes in ſe fluctus hos excipit, illos inſtar ſcopuli obtundit & obterit, cujus alliſione omnis procellarum rugitus omne piraticum robur colliqueſcit. Quippe vincit conflictu lapis ollam, quo icta petra ſtat invicta, que cum rupe gerit prelia teſta perit. Longius autem perſtrepente belli diſcrimine, ſucceſſum accelerant Cazimiride ſydus glorie quaſi jam extinctum lugent, qui viſo victricis aquile ſigno per medias cadaverum ſtrages gratulabundi penetrant, tantoque victorioſius inſtant, quanto glorioſius conſpicantur principem triumphaſſe, adeo ut tot millibus hoſtium proſtratis vix pedum agilitate ſolus illorum princeps evaſerit, omnes autem aut cruoris gladius ſatur abſorbuit, aut fugientes undarum torrens involvit, aut victor ſupplicantes vinculis mancipavit. Sic itaque tam urbe potitus quam victoria ſororis primogenitum a fratribus per errorem ejectum principem reſtituit. Sed modico temporis interjectu princeps inſtitutus veneno a ſuis propinato extinguitur, extincti provincia fratri ejus Duci Laodomirie Romano racione obſequele indulgetur a Cazimiro, quem ob meritorum inſignia regno quoque Halicienſium Cazimiri liberalitas inſignivit, Rege ipſorum Laodomiro in exilium profugato, qui a Bela rege Pannoniorum ſeu Ungarorum reſtitutionis implorat ſubſidium. Illico rex non tam exulanti commiſerans quam regni ambitu flagrans regem ſubſtitutum propulſat, regnum occupat, filium proprium inſtituit, exulemque ne filio ſuo ſit impedimento vinctum ergaſtulo includit, qui cuſtodia muneribus illecta e carcere tandem elabitur. Hic poſtmodum quodam temeritatis auſu imperii limites Cazimiri cum latrunculis irrepſerat & raptas illuſtrium feminas in ultimas barbarorum tranſtulit regiones. Defloratos taceo virginum floſculos, quarundam immaturos, proſtratam ſileo matronarum pudiciciam, ſanctuarium profanatum, ſacrificiorum miniſtros inter ſacra ſacris infulis ornatos a cornu altaris pro-

protractos, ſacerrimi temporis fedatam religionem, imo regine celorum irreverentiſſime calcatam reverenciam, cujus tanquam ignominiam ſacro aſſumptionis die execrabile flagicium ſacrilega non horruit impietas, quam ob cauſam idem ſceleris auctor in exilium eſt a Cazimiro actus. Non igitur injuria ſeveriorem indignacionem ejus trepidare debuit, in cujus majeſtatem auſu tam temerario impegit. Quia tamen ad piiſſimum Cazimiri numen confugit deſperate licet venie ſucceſſus illi non defuit, non ſolum enim temeritatis indulcionem ſed & graciam apud ſacrum principis oraculum aſſequitur. Ab ejus namque ſerenitate miſſus palacii princeps Nicolaus ille famoſiſſimus & filium regis Ungarie, quod cunctis videbatur orientalibus impoſſibile, cum omnibus Pannoniorum copiis ac poteſtatibus potenter eradicat & exulem illum regem reſtituit. Sic manus hec eadem vulnus opemque tulit. Unde cuncta orientalium regna tantus horror concuſſit ut omnes ad Cazimiri nutum plusquam tremulum folium contremiſcerent. Laodomiro igitur regno Halicie reſtituto, proceres polonorum magis indignati ſunt adverſus Cazimirum furore, pro eo videlicet, quod tantum nefas, tantum flagicium quod idem Polonie intulerat non erat ultus in eo, obquam cauſam contra Cazimirum conſpirant, ajunt Halicienſis hoſtis reſtitutione omnem Lechitarum gloriam declinaſſe, quem pocius deceret patibulo ſuffigi, quam regno ſublimari, aſſerunt ſoluto prorſus Pannoniorum Regis federe hujus regni ſecuritatem expiraſſe, quod enim viribus contra Cazimirum nequeunt, dolo peragere inſtituunt. Ipſo denique remocioribus occupacionibus intento, nece interemtum fingunt, necis cauſam ſimulant, pro duce Mieſzcone transmittunt, cito eum advolare ſuggerunt, quo repente veniente traditur civitas Cracovie, proditorum flagicium perpetratur, produntur municipia, faſces, prefecturas, tribunatus ac Conſulare decus, Senatorias dignitates omnesque Magiſtratuum poteſtates prodicionalia monſtra uſurpant, venerabili cracovienſi antiſtite Domino Fulcone ſolo pro viribus reſiſtente, ſed non ſufficiente, & vero ſydus quod occidiſſe mentiti ſunt ea tempeſtatis caligine rutilancius emicuit. Duabus enim ab oriente advocatis aquilis Duce ſcilicet Romano & fratre ejus, edaces arcet vultures Cazimirus & corvos abigit perfidie. Audito ſiquidem Cazimirum revixiſſe imo cum Duce Laodomirio Romano & Duce Belcie Vſevoldo cominus imminente, noctis compendio fugam iniere Miezkonide, Cazimirus vero Cracoviam intrepidus adiit, quam eo quo obſidionibus cingit momento recuperat. Quidam namque lixarum quaſi quodam levitatis exercicio caſtris obſidencium evolans vallum tranſilit, aggerem ſuperat muroque annixus fumigantem exſtruit ticiunculum, urbis minatur incendium, ſubito ingens ab excubiis clamor attollitur, vociferantibus urbem flagrare incendio. Omnes repente attoniti, omnes tanquam fulminis ictu percuſſi, ultro in manus hoſtium e muris jactantur precipites, nonnulli valvis patulis paſſim in vincula conſiliunt. Ille autem qui hujus mali principalis magiſter extiterat, e baſilica in quam ſe ſe tremebundus conjecerat ſemivivus protrahitur, aquilarum aviditati exponitur, quarum ungvibus in Ruſſiam inde Pannoniam per miſeras exilii vices quaſi gallinaceus aſportatur, ſed & nepotem cum omnium ſuorum univerſitate captivitati

emancipat, commeatibus inſtruit, fratri quaſi peculiare munus remittit, urbe ac municipiis que frater occupaverat receptis. Sic ergo Cazimirus regno ſuo reformato omnes captivos cum omni ſuorum incolumitate remittit, que res Mieſzconis animum tanto deinceps apud fratrem amore devinxit, ut omnium omnino oblitus injuriarum fraternis gratularetur confoveri amplexibus. Hujus autem concordie funiculus, imo aurea cathena, vir omnium virtutum omnis ſapientie quadratus induſtria, omnium morum venuſtate conſpicuus, fuit auctor Petrus Archipontifex perinſignis. Vidit enim Vincentius Cadlubconis, ſcripſit Cronicam hanc Epiſcopus Cracovienſius qui ſcripſit hoc & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Regis quoque Pannoniorum federe princeps palacii prefatus Comes Nicolaus cum Fulcone Cracovie Epiſcopo ad perfectum redintegrat, juxta ſanctorum inſtituta Regis videlicet beati Stephani & ſanctiſſimi Polonorum patroni ſcilicet Adalberti communiter debere coli utriusque regni amicitias, alterutrius hoſtilitates inſectari, communes fore proſperitatum ſucceſſus, & indirimentes neceſſitatum ſuccurſus. Compos namque regni, certus amicorum, ex omnium parte geticos aggreditur magnanimus terminos, quorum contiguis pernimium afflictis per creberrima prelia vix adactis in Pollexianorum cervicoſam animoſius accingitur feritatem, nullius hactenus bello vel virtute attenuatam. Sunt autem Polexiani Getarum ſive Pruſſorum genus, gens atrociſſima, omnium ferarum truculentior immanitate, per vaſtiſſimas ſolitudinum & ſpaciorum intercapedines, per concretiſſimas nemorum denſitates, per bituminata inaccaſſibilis loci paluſtra, quorum habitaciones Cazimirus aut dentibus cuſpidum cum ſuis perſcindit, aut enſium ſeu flammarum faucibus abſorbet, donec omnino conflagrata provincia, tam illorum quam Magiſtratuum poteſtates ad Cazimiri ſcabellum pronis cervicibus proſternuntur, tam ſuam quam reliquorum ſalutem deprecantes, ad quorum calamitates Sereniſſimi Principis pietas mox animi compaſſionem inclinat, idoneaque obſequele ac tributorum cautione ſuſcepta, cum triumpho ad propria remeavit, vbi non ſui victus torpore, ſed ſuorum perſvaſus laſſitudine aliquantisper ocio indulget. Fuit autem illi ſemper ſanctorum venerari ſolempnia, unde cum Beati Floriani diem nunc in divinis officiis, nunc in orationibus, nunc in graciarum actionibus totum Domino impendiſſet, ſolempnes in craſtinum principibus ac ſatrapis & primis regni epulas inſtituit. Letantur illi multa inter epulas leticia, primo de hoſtium undique triumphis, ſecundo poſt tanta laborum diſcrimina principis incolumitas, tercio tam propria quam amicorum ſecurior tranquillitas, quarto & rerum & temporis feſtivior amenitas. Nec deerat omnibus deliciis ſvavior Sereniſſima Principis alacritas, omnibus exultandi animos exultancius infundens, & cum omnium vox exultationis celotenus attollitur, tante glorie ſerenitas repentina ſubito tempeſtate obruitur, & ſic proh dolor extrema imo media gaudii luctus occupat, ſicque converſa eſt in luctum cythara Lechitarum, dum illud unicum ſingulare ſydus patrie Cazimirus occubuit, dum enim quasdam de ſalute anime queſtiones pontificibus proponeret, permodico hauſto pocillo humi proſternitur. Morbo incertum eſt extinctus an veneno. Tanti

igitur ſolis occaſu tante terram operuerunt tenebre & caligo populos,
ut omnia meror omnino occuparet, ad quos tanti infortunii calamitas
poterat pervenire.

Mortuo Caſimirio ortum eſt quoddam cahos & quedam perſona-
rum confuſio, quibusdam de tam inopinato eventu ſuper ſe ſtupenti-
bus, & extra ſe raptis, multis vero velut quodam fulminis ictu pro-
ſtratis. Videres plurimos magnatum imaginum inſtar prorſus exani-
mes, nonnullos uberrimis lacrimarum imbribus inundantes, videres
de vultu matronarum ac virginum quibusdam ſulcis ungvium crebra
cruoris proſcindi flumina, alliſos quosdam ad ſtatuas propriis pene icti-
bus excerebratos. Omnibus illo moriente una & eadem commorien-
di voluntas. Non deſunt tamen in eodem hore puncto quidam tacita
ducentes ſuſpiria, qualiter principes vel ſatrapas ad ſua vota ducerent,
vel vacantem occuparent principatum, ſed in ſuis cogitationibus eva-
neſcunt. Igitur exequialibus rite peractis, venerabilis ille Cracovienſis
Epiſcopus Fulco primo cum primatibus de regni ſucceſſione tractatu
habito, in concionem vocans ait: eſt pius, o proceres, dolor, ſed im-
pia doloris atrocitas, ob quam inquam cauſam examen apum ſepe de-
fluit, ac prorſus deperit, niſi quia regis ſui in locum ſubſtituere alium vel
ignorat vel negligit. Quamvis enim in ſe Cazimirus mortuus videtur,
in ſuis tamen mori facile non potuit, nec vitis creditur ſucciſa quam
vivere palmites proteſtantur. Due namque olive, duo luminaria ſuper-
ſunt. Duo filii Cazimiri Leſzko videlicet & Conradus, licet ambo
parvuli, ambo inter pupillares annos conſtituti. Dignum ergo eſt ma-
jorem natu paterna dignitate inſigniri. His dictis omnium celotenus
alacritas atollitur, vivat clamant, vivat Rex Leſzko cognomento al-
bus, vivat in eternum, omnesque tanta ſerenitas leticie quadam feſtivi-
tate perfudit, quaſi preteriti doloris nullam pertulerint anguſtiam, tanta
illis dulcedo, tantus amor, tantus omnibus affectus erga pupillos, ut nec
tribulacio, nec odium nec gladius, non queſtus nec ullius penitus occa-
ſionis neceſſitas, ipſos ab ipſorum latere ac obſequio deſtringat. His
auditis conſternatur ille ſenex Mieſzco patruus eorum indignacionis do-
lore, humi proſternitur, non ſuum ait apud illos dolere contemptum,
ſed jus primogeniture eſſe confuſum. Infantum enim eſt cum infanti-
bus ludere, equitare in arundine longa. Verbis igitur callidiſſimis Du-
cem Boleslaum & fratrem ejus Mieſzconem crebro ſollicitat, & ad ſuum
votum inclinat, aliorum quoque tam hujus regni quam exterorum ve-
natur ſubſidia, preterea precibus, precio mercatur & ambit, ſcit bene
murilegus cujus genu lambit. Proinde augent ac roborant illius artes
Wladislaide, non tam illius amore quam regni ambitu & odio pupil-
lorum. Adeſt parvulorum ſubſidium Ducis Ladimirie Romani pia miſe-
ratio, non cum parvula Ruthenorum numeroſitate. Meminit namque
idem Romanus, quanta erga ſe Cazimiri fuerint beneficia, ſciebat poſt
illorum exceſſum radici ſuae ſecurim imminere. Eſt autem in Craco-
vienſi provincia locus amenitate fluvii Moſkawa dictus, ab Andrzejo-
vienſi monaſterio non longe diſtans. In hujus loci pinetis ſeu rubetis
bellum hinc inde oritur. Confundunt acies & ſtant hinc inde phalan-

ges, ferrea ſtant nemora ſtant pila minancia pilis, quorſum queſo fu-
ror, quorſum miſeranda inventus. Nam furor eſt mergi velle cruore
ſuo, in te prona ruis vite tua tela reſolvis. In te luxuriat, ſeditioſa
ſitis. O ſacrilega o prophana o luctuoſa congreſſio ſpectaculi! Non
hic filiacio paternitati reverenciam exhibet, non filiacionem paternitas
agnoſcit, non fraternitas fraternitatem cognoſcit. Omnes invicem ſine
omni delectu promiſcua ſeſe cede interimunt. Hic Mieſzconides Bo-
leslaus cuſpide transfoſſus expirat, hic inclitorum gloria proſternitur,
ibique Mieſzconem ſenem quidam miles gregarius vulnerat, quem
cum occidere vellet, ille detecta caſſide ſe eſſe principem clamat, quo
ille cognito veniam imprudencie poſcit, eumque ab aliorum impetu
preſervans prelium declinare facit. Sed & Dux Romanus non ſine
magna ſuorum cede vulneratur graviter, atque a prelio divertit. Sic
igitur ſenex Mieſzco ſub onere duplicis meroris cogitur ad propria re-
meare confuſus, ſub onere ſcilicet meroris pro morte filii, ſub onere
doloris pro vulneribus in ſe ſuſceptis. Igitur mater puerorum, tam in
conſiliorum induſtria, quam in rerum experientia multum ſupra ſexum
muliebrem prudentiſſima, legitimam pupillorum in ſe tutelam ſuſcipit,
donec major adoleſcat, qui proximus erat pubertati. Sed & preſul
Fulco & palatinus Nicolaus cum quibusdam procerum reipublice cu-
ram ſuſcipiunt, cujus adminiſtracionem idoneis ac fideliſſimis poteſta-
tibus diſtribuunt, ſiluitque aliquandiu terra & pacis facta eſt tranquil-
litas. Porro Dux Leſzko etate proficiebat & induſtria, jamque ad exerci-
tium armorum aſpirabat, qui nec dum baltheo milicie inſignitus quia ado-
leſcentulus, tamen ſuper omnes principes quaſi quidam ſol emicuit. Eo-
dem namque tempore moritur Dux Galicie Wladimir nullo legitimo
herede relicto, unde Ruſſie principes alternatim vacantem ſtudent
rapere principatum. Inter quos Dux Romanus Duci Leſzkoni obnixe
ſupplicat, ut eum perpetuo ſibi famulatu obliget, ut ipſum non princi-
pem ſed procuratorem ſuum in Galicia conſtituat. Quo audito Dux
Leſtko mandat ſuis ut ſint ad expedicionem parati. Igitur confluunt
cohortes, affluunt acies, moventur contra Galiciam caſtra, principem
vero utpote nondum bellis idoneum ſacius interim jocis domi indul-
gere quam intempeſtivis temere elaborari ſudoribus. At vero adole-
ſcens pene illacrimans, proh pudor inquit o proceres, me feminam a
meis eſtimari non principem. Parum enim diſtat a femina qui ſemper
cetus colit femineos, non vero ut princeps ſed ut ſignum principis ve-
ſtra caſtra non deſeram, alioquin vel ſolo comite veſtra ſequar veſtigia.
Gratulantur omnes tam virilis animi adoleſcentem, qui dum Ruſſie limi-
tes attigiſſet, arene inſtar hoſtium numeroſitatem invenit conglomera-
tam, quibus a facie Leſtkonis in fugam converſis, Gallicienſes illi pro-
nis cervicibus occurrunt, omne obſequium, omnem omnium ſubjectio-
nem ac fidelitatis perpetuitatem pollicentur, ipſum regem ipſum ſue
ſalutis ſubſidium & optant & eligunt. Nihil enim aliud ajunt querimus,
quam ut veſtri nominis gloria invocetur ſupra nos, quia principem ter-
re noſtre habere non poſſumus. Leſtko igitur eos Ducem Romanum
ſuſcipere coegit, quem ipſi tanquam fulgur horruerunt. Que tamen
beneficia Polonis poſtea Romanus male rependit, ſicut infra ſuo loco

dicetur. Anno incarnacionis dominice M. CC. Vto Dux Mieszko senex, qui dolose Cracoviam subintraverat moritur, & ex tum Dux Lestko possidet pacifice principatum, qui accepit uxorem Ruthenam nomine Grzimislavam, de qua genuit Ducem Boleslaum pudicum & sanctam Salomeam. Illo quoque in tempore Romanus potentissimus princeps Ruthenorum, congregato magne numerositatis exercitu, Duci Lestkoni tributa denegat, audacter se opponit, potenti manu Polonie metas aggreditur insperate. Quod cum auribus Lestkonis insonuit, illico cum paucis sibi occurrit in Zawichost, occupat, irruit & trucidat, quod Rutheni cernentes qui primum pompatice venerant, vulneratis occisisque quam plurimis, reliqui fuge presidium iniere. Post hoc Lestko albus Pomeraniam intrat, ibique honorifice ab omnibus maritimorum proceribus tanquam legitimus eorum Dominus est susceptus, statuto itaque loco sui procuratore seu capitaneo terre, viro utique potente Swantopelkone, ac omnibus rite ordinatis, ad sedem regni sui revertitur, ibique cum suo fratre juniore scilicet Conrado terram dividit in hunc modum. Lestko namque tanquam primus genitus Cracoviam, Sandomiriam, Pomeraniam, Lanciciam, Szyradiam possedit. Conradus vero velut junior totam Mazoviam & Cujaviam plenissime sortitus est. Hic denique Conradus tres genuit filios, videlicet Szemowitum, Boleslaum, Cazimirum, qui primum sic dividentes principatum patre adhuc vivente decreverunt, ut Szemovitus cum Boleslao totam Mazoviam usurparet, Cazimiro autem sola Cujavia cederet, cujus patruus suus Lestko Dux Cracovie misertus, addidit totam Lanciciam & Szyradiam. Boleslaus itaque Conradides obiit sine prole, & medietatem Mazovie fratri suo legavit, scilicet Cazimiro. Szemovitus autem genuit duos filios, scilicet Conradum & Boleslaum & Salomeam domicellam, de quibus Conradus sine filiis obiit. Salomea ordinem sancte Clare intravit. Boleslaus autem de Lithuana Prezislava devotissima domina, genuit Troydenum & Szemovitum.

De sorore Regis Bohemie moniale professa genuit Wankonem, item Venceslaum & uxorem filii Mieszkonis de Teszin. Cazimirus tercius filius Conradi quoque genuit filios, scilicet Lesthkonem nigrum cui pater terram Szyradie delegavit, secundum Zemomislum, cui Wladislaviam pater dedit, tertium Wladislaum Lokethkonem, cui terram Brestensem donavit, quartum Cazimirum, qui Lanciciam possedit, qui & sine prole decessit, nam & a Lythwanis in bello occiditur anno Domini M° CC. XCIII°. quintum Szemovitum qui terram dobrinensem nuncupatam accepit, & ex tunc multiplicatis principibus multa mala esse ceperunt in terra, juxta sententiam Salvatoris: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur: sed redeamus ad rem. Dimissis namque aliarum partium principibus de Cracovie tantummodo principibus loqui volo. Albus Lestko igitur augere cupiens rempublicam, super qua cum suis tractare volens, omnium terrarum suarum prepositos cum proceribus in Gansawa ad colloquium convocat, quo cum & Pomerani venissent, Swanthopelcus procurator maritime regionis ambiens principatum, in dominum suum subito cum suis inopinate

irruit, & occidit. Sicque Dux Lestko de loco in Cracoviam ducitur, ibique in majori Ecclesia anno Domini M. CC. XXVI. sepelitur, Cui Boleslaus pudicus filius ejus in regno successit. Eodem anno S. Franciscus migravit ad Christum. Igitur Swantopelcus ex tunc ducatum sibi in Pomerania usurpavit, qui genuit filios tres, Szamborium Mestvinum, Wratislaum, & omnes sine filiis decesserunt.

Boleslaus pudicus patri suo Lesthkoni successit. Hic accepit uxorem sanctissimam, Kyngam filiam Domini Bele incliti Regis Ungarorum, qui utrique magis celibatum quam delicias thori preeligentes, usque in finem vite illibatam pudiciciam Domino conservarunt. Fuit itaque hic Boleslaus vir sobrius & mansvetus, nulli malum pro malo reddens, libertatum Ecclesie conservator, militum verus amator, quia nihil sibi retinebat, sed omnia suis militibus tribuebat, religiosorum benefactor & precipue fratrum minorum emulator. Hujus temporibus primi Tartari Cracoviam intraverunt & magnam stragem in populo Christiano fecerunt & Ducem Zlesie Henricum occiderunt, anno Domini M. CC. XLIV. anno vero Domini M. CC. LXVI. Daniel Rex Russie moritur & Swantopelcus Dux Pomoranie. Eodem anno Poloni Russiam spoliantes in festo sanctorum Gervasii & Protasii cum eisdem confligentes in metis Polonie que porta dicitur, in die Sabbati multa millia occiduntur. Anno autem incarnacionis Dominice M. CC. LXVIII. soror hujus Boleslai pudici sancta Salomea feliciter migravit ad astra, in vigilia Beati Martini confessoris, de qua hoc mirabile accidit. Dum enim VII diebus inhumata in thoro sororum jaceret, in loco qui dicitur lapis sancte Marie, nullum tamen horrorem atque fetorem sororibus ingerebat, quin pocius iisdem quendam odorem svavissime refectionis solacium promebat. Post cujus sepulturam ac quarto idus Novembris usque ad Calendas Julii in terra jacuit, nullus tamen fetor de ejus corpore exalabat, cum ad sepulturam Cracoviam duceretur, licet archa in qua condita fuerat aperta fuisset, audivi eciam ab illa religiosissima Martha quod eodem tempore oleum quoddam mire svavitatis fragrancia de ejus corpore transtillabat, quod multi infirmorum digitis tingentes seque linientes a quacunque detinebantur infirmitate, illico sanabantur. Eodem anno VII. Cal. Sept. Stephanus Rex Ungarie venit Cracoviam visitare limina sancti Stanislai & ut videtur Ducem Boleslaum sororinum suum, utpote quod haberet Dominam Kyngam germanam suam, fecit predictus Rex pacem & concordiam cum Boleslao perpetuam, prestito super crucem de ligno Domini juramento, hoc eciam fecit idem Dux & omnes Barones utriusque partis. Eodemque anno VIII idus Decembris nobilis quedam domina, scilicet uxor Comitis Wyrchoslai in Nakel, diœcesis Cracoviensis, peperit in uno partu LX pueros parvulos. Hoc quoque notandum est, quod Domina Kynga Ducissa Cracovie nata est anno Domini M. CC. IIII. que primam vocem contra infantum morem protulit, ave Regina celorum: quo dicto loqui desiit usque ad tempus secundum naturam prefinitum. Hanc Boleslaus sibi copulat anno Domini M. CC. XXXIIX. hic Boleslaus cum Rege Bohemie scilicet Przimislao convenit, & amiciciam inter

ter ſe perpetuam firmaverunt. Anno quoque Domini M. CC. XLIII. Conradus Cazimirides cum Mazovienſibus terram Cracovie potenter intraverunt, cui Boleslaus in Suchdol occurrens preliari cepit, & ipſum Conradum patruum ſuum de terra fugavit, qui non ferens opprobrium poſt annos tres infinitam multitudinem Lithuanorum ſuper terram nepotis adduxit, in Zarzuzobo prelium commiſerunt, & Boleslao fugato multos terrigenas proſtraverunt. Item notandum quod anno Domini M. CC. LXVIII. Jacobus ſedis apoſtolice legatus indulget poſt ſeptuageſima comedere carnes, quo ſolacio Poloni caruerunt fere CCCtis annis. Sub hujus quoque glorioſi principis tempore ſacratiſſimus pontifex & martyr Dei Stanislaus canonizatus eſt per Dominum Papam Innocencium quartum, in Eccleſia ſancti Franciſci in Civitate Aſſisſina, ubi inter cetera mirabilia eodem die miſſam Papa celebrante, quidam nobilis defunctus ad memoratam Eccleſiam cum allatus eſſet, parentibus illius flentibus & tumultum non parvum facientibus, idem Dominus papa ante altare Beati Franciſci proſtratus, prorupit in hec verba: O, inquit, beate pater Franciſce, ſi ſunt hæc omnia vera que de ſancto Stanislao Polonorum prothomartyre audivimus, ſuſcipe hodie novum hoſpitem in novo ſigno: quo dicto ſtatim ille defunctus reſurrexit. Iſte ſanctus Stanislaus in terra jacuit a die paſſionis ejus usque ad canonizationem ejus annis centum LXXIII. minus dimidio. Hec autem canonizacio facta fuit anno Domini M. CC. LIII. mortuus eſt autem Boleslaus Dux Cracovie & Sandomirie ſine prole, vir Dei plenus pudicicia cum ſua conjuge integraliter conſervata. Sepultus eſt apud fratres minores in Cracovia, cujus mortem non ſolum terrigene ſui, verum eciam vicine provincie Principes & milites multo tempore defleverunt. Uxor ejusdem Ducis Domina Kinga eodem momento ſepulture mariti ſui ſuſcepit habitum fratrum minorum una cum domina Tolanta uterina ſorore ſua Duciſſa majoris Polonie, relicta incliti Ducis Boleslai, & hoc in choro fratrum minorum ante majus altare. Obiit autem anno Domini M. CC. LXXIX. IIII. idus Decembris, dominico die & LV annis regnavit.

Succeſſit autem Boleslao pudico per electionem procerum terre Leſzſtko niger, filius Cazimiri, Dux Szyradie, cujus parum ante primum hujus regni annum Leo Rex Ruſſie venit cum magno exercitu Tartarorum volens Ducatum Cracovie & Sandomirie poſſidere. Cui occurrunt in vigilia Beati Mathei Apoſtoli circa Goslicz duo palatini, ſcilicet Petrus Cracovienſis & Janusſius Sandomirienſis vix cum ſexcentis hominibus, & multitudinem copioſam Deo celi victoriam conferente profligat. Leo vero fugit de terra turpiter confuſus, quem XI diebus Leſtko ſequitur, habens ſecum XXX millia equitum & duo millia peditum, ſpolians Ruſſiam & caſtra ſubvertens, reverſusque eſt ad propria cum gloria & pace. Hujus tempore Jazvizite terram Lublinenſem depredati ſunt, & maximam predam abduxerunt. In ſomnio itaque Dux Leſtko per Michaelem Archangelum ammonitus eos inſequitur, comprehenditque eos ultra Narew & ſuperavit, totamque predam abduxit, in quo prelio nullus omnino cecidit, imo

quiddam mirabile ibidem accidit, quod canes, quos predicti gentiles adduxerant, viſo Chriſtianorum exercitu gaudere & ululare ceperunt, qui ſimul cum Chriſtianis in occiſionem gentilium converſi atrociſſime dimordebant. In die ſancti Franciſci Lithuani cum paganis, terram Sandomirienſem occulte intraverunt, Duce Leſtkone cum tota fere militia reſidente, ſpoliantesque terram ſacerdotes clericos, viros cum uxoribus & pueris & villanos velut pecora abduxerunt, ſenes occiderunt, juvenes cum juvenculis in ſervitutem perpetuam mancipantes. Audito hoc Dux illuſtris Leſtko cum Baronibus lugubrem gemitum & ſuſpiria emiſerunt confidentes tamen Dei auxilio confeſſione & Sacramento ſe munientes & ſeſe mutuo exhortantes, hoſtes inſeqvuntur, proſternunt in loco certaminis mille ſexcentos viros, reliquos de prelio fugientes hinc inde necaverunt & circa ſex millia ſuorum liberaverunt. Eodem quoque anno Dominus Jacobus Swinka in Kalis apud fratres minores in Archiepiſcopum conſecratur in vigilia Sancti Thomae. Anno denique dominice incarnationis MCCLXXXV. milites Ducem Conradum Mazowienſem in terram Cracovie & Sandomirie adducunt, cui Dux Leſtko cum paucis Ungaris reſtitit & fugavit, & quia Teutonici cives Cracovienſes tantummodo fideles fuerunt, & caſtrum conſervaverunt, ideo dictis Teutonicis contra voluntatem militum civitatem Cracovienſem munire permiſit, & ſic deinceps Poloni quaſi totum poſſe ſuum & gloriam perdiderunt. Item anno Domini MCC LXXXVII. ante Chriſti nativitatem, Tarthari terram Sandomirienſem, Cracovienſem, Sandecenſem, Syradienſem, Mazovienſem intraverunt, & multum populum abduxerunt. Ita ut in Ladimiria cum debebant predam dividere, XXX & unum millia de ſolis virginibus & juvenculis primo maturatis numeraverint. Iſte Leſtko niger prius fuerat Dux Syradie, poſt modum Cracovie & Sandomirie. Hic habuit Uxorem nobilem, ſcilicet dominam Grifinam filiam Domine, que filia Bele regis Ungarie fuit. Fuit autem religioſorum & pauperum afflictorum conſolator, divina devotiſſime frequentabat. Hic in favorem Teutonicorum comam nutriebat, qui mortuus eſt in die beati Jeronimi anno Domini MCCLXXXVIII. deinde multa mala exorta ſunt.

Explicit Cronica Polonorum anno Domini milleſimo CCCCXXVI. ſcias autem quod iſtam Cronicam compilavit Vincentius cognomento Cadlubkonis. Iſte autem Vincentius Cadlubkonis anno Domini MCC VIII. in Epiſcopum Cracov. ordinatus fuit, vir literatiſſimus & Deo devotus, qui Cronicam Polonorum confecit, ut ſuperius ſcripta habes, a temporibus Magni Craci ipſam initians, qui Cracus fuit ante incarnacionem domini noſtri annis CCCCtis, & ante Alexandrum Macedonem annis ſexcentis, tandem anno Domini MCCXVIII. idem Vincentius ſponte ceſſit Iwoni de epiſcopatu, & monaſterium ordinis predicatorum ingreſſus eſt. Iſte eciam Vincentius creditur hiſtoriam de Sancto Stanislao modo rethorico ritmizaſſe.

Nunc quoque veniam ad annales hiſtorias carptim ſuccincteque atque breviter conſcribendas, in quibus ita exordior. Anno Domini

DCCCXCIX. Arnolphus fuit ultimus Imperator quantum ad posteritatem magni Caroli. Hunc Arnolphum pediculi devoraverunt, nec vel balneis vel medicamentorum generibus poterat adjuvari, quin a pediculis consumeretur.

Anno Domini DCCCCXIII. Zemomislaus Lestkoni quarto succedit in regno Polonie, de Zemomislao famosus ille Mieszko cecus nascitur, qui primus Rex Polonorum graciam baptismi suscepit. Mieszko vero dictus est item Turbacio, quia ceco nato parentibus turbacio exorta est. Iste Mieszko licet famosus esset & magne industrie, vicio tamen eminuit. Nam septem pellicum scortis quas coniuges nuncupabat nocturnas variare vices consveverat. His tandem repudiatis quandam Dambrowcam nomine filiam Ducis Bohemie matrimonio copulat, cujus felici consortio glacies infidelitatis dissolvitur & nostrorum labrusca gentilium in vere vitis palmites transmigravit. Mieszkoni si quidem felix Dambrowka non prius nubere voluit quam universum Polonie regnum cum ipso rege Christiane professionis caracterem suscepisset, didicerat namque quod dispar cultus conjugum erat impedicius matrimonium. Sic igitur Mieszkonis cecitas cecitatis nostre fuit privacio, quos veri luminis orbaverat carencia.

Anno Domini DCCCCLXVII. Boleslaus magnus, qui Chabri dicitur, natus est. Iste Bohemos & Ungaros edomuit, & in flumine Salawa metis ferreis fines polonie terminavit. Sed prius anno videlicet Domini DCCCCLXV. Dambrowka ad Mieszkonem venit, tunc Ecclesie & claustra, episcopatus, prepositure & alia beneficia, que tunc per ipsos fieri poterant, construuntur & dotantur. Iste Mieszko a nativitate cecus fuit, ut in Cronicis continetur. Hec autem Dambrowka putatur fuisse soror Sancti Wenceslai, Anno Domini DCCCCLXX. primus Episcopus Cracovie, nomine Prochorus ordinatur.

Anno Domini DCCCCLXXIIII. primus pragensis Episcopus Dithmarus nomine confirmatur. He sunt nationes Regum Polonie Koszysko genuit Pyast, Pyast genuit Szemovitum, qui genuit Zemomislaum, Zemomislaus genuit primum & magnum Mieszkonem.

Anno Domini DCCCCLXXXII. Sanctus Adalbertus in Episcopum Pragensem consecratur. Slawnik fuit pater ejus, Strzeszislawa mater. Hic beatus Adalbertus revelante Deo, Pannoniam veniens, primum Regem Ungarorum Sanctum Stephanum cum multis aliis baptizavit. Deinde per Poloniam transiens, & eosdem in fide confirmans, in Prussiam veniens, ibidem fidem predicans, martirio coronatur. DCCCCLXXXVI. Proculphus in Episcopum Cracovie secundum assumitur, mortuo Prochoro. Strzesislawa mater sancti Adalberti obiit. DCCCCXCV. Lampertus in Episcopum Cracoviensem tertium ordinatur. DCCCCXCVII. passio sancti Adalberti martiris. M. Boleslaus mittit Lampertum Episcopum pro consecratione ad curiam. Eodem tempore Stephanus Rex Ungarie misit Affricum Episcopum ad Silvestrum Papam pro corona petenda, & Papa anglica monitus visione, coronam quam preparaverat Mieszkoni Affrico nuncio Regis Ungarie dedit. Sed cur data non fuit Polonis, in subscriptis Cronicis plenius continetur.

MII. Sanctum Adalbertum Imperator Otto rufus in Polonia visitavit, & Boleslaum nimio desiderio vidit. Iste Boleslaus ab Imperatore predicto in Regem sublimatus, inditam sibi liberalitatem exercuit. MV. heremite VI. in Polonia martirizantur.

MXIIII. Poppo in Episcopum Cracovie ordinatur quartum.

MXVIII. Boleslaus Ruthenos superat, & terras eorum vastat.

MXXIII. Compo in Episcopum Cracovie eligitur quintum.

MXXV. Boleslaus magnus obiit. Mieszko secundus succedit, qui in amenciam cecidit & mortuus est. Hic habuit uxorem sororem Ottonis Imperatoris predicti, de qua genuit Cazimirum, qui vocatus est restaurator. Iste Cazimirus fuit monachus, postea ex dispensacione Pape in regnum rediens, ex uxore de Russia nomine Maria genuit quatuor filios, Boleslaum efferum, Wladislaum, Mieszkonem & Odonem. MXXXI. Hipolitus Archiepiscopus Gnesnensis mortuus cui Bodzanta successit, Rachelinus Episcopus Cracoviensis efficitur post Componem. MXXXVIII. Cazimirus moritur qui fuit monachus, post hunc Boleslaus filius senior, largus sed efferus, in Ungaria exulavit interfecto sancto Stanislao. MXLIII. Conradus Imperator mortuus, cui Henricus successit in imperium & XVII. annis regnavit. MXLVI. Aaron monachus tynicensis in Episcopum Cracoviensem postulatur, & assumptus est per Benedictum Papam IX, Colonie consecratus Archiepiscopatus privilegio insignitur. MLXII. Henricus Imperator obiit, cui alter Henricus successit & XLIX. annis regnavit. Hujus tempore quidam potens dum sedet in convivio repente a muribus invaditur nulli nocentibus preter illum solum, sed cum a suis in pelagus maris deductus fuisset, nil ei profuit, quin mures navim insequentes illam usque ad aque introitum corrodebant, in terra ergo positus, totus a muribus devoratus est & comestus. Similiter accidit Pompilio Regi Polonie. MLIX. Aaron Episcopus Cracoviensis moritur, post quem Zula, cognomine Lampertus, in Episcopum ordinatur. Iste Zula neglexit petere insignia Archiepiscopatus. MLXXI. Zula Lampertus Episcopus Cracoviensis moritur, cui Sanctus Stanislaus successit. MLXXIX. Sanctus Stanislaus tertio idus Aprilis martirizatus per Boleslaum efferum, qui Rex divina ulcione de regno ejectus in Ungaria in frenesin versus in exilio mortuus. MLXXXII. Lampertus in Episcopum Cracoviensem consecratur mortuo Sancto Stanislao. MLXXXVII. Mieszko de Ungaria rediit, & Boleslaus tertius natus est, qui Mieszko uxore ducta sine prole obiit. Sed & alii duo fratres Boleslai Mieszko & Odo mortui sunt sine prole, Wladislao solo regnante, qui ad preces Sancti Egidii genuit

nuit tertium Boleslaum cognomento Krzywoufty. MLXXXIX. lancea domini inventa eft in Antiochia. MCII. Lampertus Epifcopus mortuus, Belduinus fuccedit, beatus Bernardus Ciftercienfium ordinem introivit. MCXVII. Henricus Imperator quartus Poloniam intravit ad fubiugandum eam fibi, fed refiftente fibi viriliter Boleslao Krzywoufty revertitur fine honore. MCXVIII. Gaudentius Epifcopus Cracovienfis ordinatur. MCXIX. Boleslaus duos Duces Pomoranos devicit. MCXXVII. Invencio capitis Sancti Adalberti. MCXXXI. Cazimirus Dux moritur. MCXXXVII. Vislicia cede paganorum deftruitur. MCXXXVIII. Cazimirus filius Boleslai natus eft. MCXXXIX. Boleslaus Dux inclitus Polonie moritur. Hoc tempore Henricus Imperator quartus intravit Poloniam, ut eam fubiugaret, fed Boleslao refiftente revertitur fine honore. MCXL. clauftrum Andrzejow edificatum. MCXLII. ejecto Wladislao fratre fuo primogenito, qui fratres fuos ex hereditare volebat ex inductu uxoris fue Tentonice, fed Boleslaus fecundus natus poft eum auxilio terrigenarum ipfum de Polonia fugat. Ifte Boleslaus quartus cognominatus eft Crifpus. MCXLVII. Coradus Imperator Poloniam intrat. MCXLVIII. Petrus cecatur, qui clauftrum Sancti Vincentii ante Wratislaviam conftruxit. Eodem anno Wladislaus moritur. MCLIV. Henricus Dux Sendomirienfis ivit Jerufalem. Ifte conftruxit Ecclefiam in Zagofzcze, quam contulit hofpitalariis in Cracovia. MCLIX. Boleslaus filius Cazimiri nafcitur. Eodem anno Wladislaus in exilio moritur. MCLXI. Gedco Epifcopus Cracovienfis ordinatur Matheo mortuo. Dux Sandomirienfis Henricus una cum exercitu occifus eft in bello in Pruffia. Eodem anno Fredericus Imperator Mediolanum deftruxit, fiquidem muri ejus altiffimi funditus fuffoffi funt, cetera in cinerem redacta. MCLXIII. Boleslaus filius Wladislai reducitur in Zlefiam a patruis una cum fratre fuo Miefzkone & eadem terra datur eis in poffeffionem. Clauftrum in Lubus edificatur. MCLXX. Thomas Archiepifcopus Cantuarienfis martirizatur. Dux Miefzko per Getkonem Epifcopum & per milites ejicitur de Cracovia. MCLXXVII. Dux Cazimirus filius Boleslai tercii intrat Cracoviam jure fucceffionis obtinendam. Eodem anno Clauftrum Lubeyow edificatur. MCLXXXI. Cazimirus devicit Ruthenos. MCLXXXIII. Boleslaus filius Cazimiri moritur. MCLXXXIV. Sanctus Florianus per Egidium Epifcopum Mutinenfem in Cracow apportatur, & per Getkonem tunc Epifcopum fufcipitur, & Bafilica in honorem ejus extra civitatem edificatur. MCLXXXVII. clauftrum in Koprznicza fundatur, Getko Epifcopus Cracovienfis obiit. MCLXXXVIII. Fulco in Epifcopum Cracovienfem ab Urbano Papa confecratur, qui dedit ei privilegium primam manum imponere in Archiepifcopum confecrandum. MCXC. Abbas Joachim habuit fpiritum prophetie fub Fulcone. MCXCII. Cracovia devaftata & a Miefzkone loripede, vulgariter Laskonogi, filio Wladisłai quondam exulis & ejecti. MCXCVII. Bellum fuit inter Miefzkonem & Lefzkonem. Lefzko prevaluit, Boleslaus occiditur. Cazimirus Dux Cracovie moritur fubitanea morte per incantaciones cujusdam mulieris venefice. Leftko filius fucceffit. MCC. Dux Miefzko loripes Ruthoni edificavit.

MCCII. Dux Miefzko frater Cazimiri moritur & ex tunc Dux Leftko Cracoviam pacifice poffedit, qui accepit Grzymislavam uxorem ruthenam, de qua genuit Boleslaum pudicum & fanctum Salomeam. MCCVII. Romanus Ruthenorum Princeps cum omni exercitu occifus eft a Leftkone in Zavichoft in die Gervafii & Prothafii. MCCVII. Ordo beati Francifci incepit. Fulco Epifcopus Cracovienfis obiit. MCCXVI. Regula Francifci confirmatur, & ordo Dominici confirmatur. MCCXVIII. Vincentius Epifcopus Cracovienfis ceffit fponte Ywoni de epifcopatu. MCCXXVIII. Ywo Epifcopus Cracovienfis moritur. Eodem anno Dux Leftko interfectus eft a Pomeranis fub fraude & Dux Henricus Zlefie a Duce Conrado captivatur Mazovie. Gregorius Papa IX. fanctam Elifabeth & fanctum Francifcum, & fanctum Dominicum canonizavit. MCCXXXI. Wislaus confecratur in Epifcopum Cracovienfem. MCCXXXII. Vincentius Archiepifcopus moritur. Eodem anno beatus Antonius migravit ad Dominum. MCCXXXIV. nafcitur Kinga filia regis Hungarie, patre Bela, & de matre nomine Maria in dominica Septuagefime, quam duxit Boleslaus filius Leftkonis, Dux Cracovienfis & Sandomirjenfis in uxorem. MCCXXXIV. Teutonici intrant terram Pruffie & eam tribus feptimanis vaftant, fine contradiccione alicujus. MCCXXXIX. Boleslaus Kingam filiam Regis Ungarie accepit in uxorem, bonam mulierem & fanctam. MCCXLI. Farthari Poloniam vaftaverunt & Henricum Ducem Zlefie occiderunt. Eodem anno in Ungaria lupi, vulpes, aquile homines occidebant. MCCXLII. Wislaus Epifcopus moritur. Prandotha fucceffit. MCCXLIII. prelium inter Ducem Conradum & Boleslaum in Suchodol committitur, & victus eft Conradus a Cracovienfibus. MCCXLIV. Prutheni per frequentes infultus Lukow & Lubbin & Seczechow vaftaverunt. MCCXLVI. Lithuani venientes in Jaroczin commiferunt bellum cum Boleslao, & devicto eo multos milites occiderunt. MCCXLVII. frater Johannes fedis apoftolice legatus, ordinis fratrum minorum, cum aliis fratribus ad Regem Tartarorum pervenerunt. MCCXLIX. moritur fancta Hedwigis. MCCLIV. beatus Stanislaus canonizatur. MCCLV. Getko miles plus quam CC. annorum fenex moritur, qui multa miracula fancti Stanislai, & multa acta Polonorum magiftro Petro narravit. MCCLVII. terre motus factus eft magnus, & civitas Cracovienfis locata eft teutonico jure. MCCLVIII. Grzimislawa Duciffa Cracovie moritur, & in Zavichoft fepelitur apud fratres minores. MCCLXIX. Dux Boleslaus Cracovienfis & Sandomirienfis devaftavit terram Lancicie. Eodem anno Tartari devaftaverunt terram Cracovie & Sandomirie & hic fuit fecundus adventus, in quo occiderunt & abduxerunt infinita hominum millia, & caftrum Sandomirienfe ceperunt. MCCLXII. Dux Szemovitus Mazovienfis a Lithuanis occiditur in Lafkow, & filius ejus Conradus captivatur, Przimislius coronatur, primus hujus nominis Rex. MCCLXIV. Cracovienfes vicerunt Jazmizitas. XVIII. Cal. Julii. MCCLXV. obiit Anna Ducifta Zlefie, uxor Henrici occifi a Tartaris. Dux Leftko ducit Griphinam uxorem fuam. Poloni fpoliaverunt Ruthenos, & multos ociderunt in metis Polonie & Dux Ruthenorum Romanus occiditur a

Leſtkone in Zawychoſt, alios usque Wladimirum Poloni inſequuntur, alii capiuntur, infiniti occiduntur. MCCLXVI. Prandotha Epiſcopus Cracovienſis moritur. Paulus ſucceſſit Jaſzconis. Daniel Rex Ruſſie moritur. MCCLXVII. Sancta Hedwigis canonizatur. MCCLVIII. Sancta Salomea migravit ad dominum, in vigilia Sancti Martini. Eodem annô in Cracovienſi ducatu propter infidelitatem cujusdam mulieris corpus Chriſti verſum fuerat in carnem viſibilem, quam cum magna violencia ſumpſit mulier timens predicacionem & publicacionem ſui criminis. MCCLXX. Cazimirus junior filius Boleslai Crzywuſty, Dux Cracovie genuit duos filios, ſcilicet Leſtkonem Ducem Cracovie & Conradum. Iſte Conradus genuit tres filios, Cazimirum, Boleslaum Szemovitum, ex quibus Cazimirus genuit plures filios, ſcilicet Leſtkonem nigrum, qui poſt Ducem Boleslaum pudicum Cracoviam tenuit, item Wladislaum qui Loketk cognominatus eſt, qui poſt Regem Bohemie Cracoviam eſt adeptus. Eodem anno in Kalis infra octavas nativitatis Chriſti natus eſt vitulus habens duo capita & VII pedes. Erant autem illa canina, & dentes canini. Erat autem unum caput in loco debito, & hoc erat majus, aliud erat minus & hoc erat ad caudam ſitum. Ipſe autem vitulus habebat pellem vitulinam & pedes vitulinos, cujus cadaver nec canes nec porci volebant comedere. Eodem anno moritur Rex Ungarorum Bela. Eodem anno in Cracovia fuit maxima inundacio aquarum, per Wyslam fluvium circa feſtum beate Marie Magdalene tribus diebus, qualis nunquam antea viſa eſt, quia occupavit villas, ſegetes, prata & totum campum, a monte Sancti Stanislai, usque ad montem Sancti Benedicti, & multos homines ſubmerſit, & domos & molendina, & duravit hoc malum per XV dies & ſimiliter duo alii fluvii fecerunt Raba & Dunanecz. Iſto anno fluvius qui dicitur Nyſſa fluxit ſangvine tribus diebus, a feria VI usque ad diem dominicum. Odra eciam fluvius qui preterfluit Wratislaviam fluxit tribus diebus aqua viridiſſima, poſtea aliis tribus diebus aqua penitus ſangvinea. Eodem tempore moritur Regina Ungarorum, nomine Maria, mater domine Kinge. MCCLXXI. tres ſoles apparuerunt in ortu ſolis die Lune XIIII Cal. Febr. Samborius a Boleslao capitur, qui acquiſivit Gdanſk. Januſius Archiepiſcopus moritur. Eodem Griphina uxor Leſtkonis Ducis Syradienſis depoſuit de ſe peplum publice, eo quod dixit ſe eſſe virginem incorruptam, nec ab eo poterat cognoſci propter impotenciam ipſius, ut dicebant. MCCLXXIII. Dux Boleslaus Cracovie convenit cum Duce Bohemie Przimislio in Opavia, & firmant amiciciam perpetuam. Anno ipſo Boleslaus Dux Cracovie & Sandomirie, Boleslaus Dux Polonie, Conradus Dux Mazovie & Leſtko Dux Szyradie intrantes terram Wladislai Ducis Opolienſis devaſtaverunt eam totaliter, ſpoliantes & incendio ſubjicientes usque in Opol & in Coſzle & usque in Oderam, & multos homines amiſerunt ibidem. Eodem anno quidam milites Cracovienſes proceſſerant ad Ducem Wladislaum Opolienſem cum tota potencia ſua de conſilio Pauli Epiſcopi Cracovienſis, ſed Boleslaus miſſo exercitu comprehendit eos in campo Boguczyn, & commiſſo prelio ex utraque parte ceciderunt plurimi. Venit autem vox ad Paulum Epiſcopum, dicens ne tibi Paule melius

fuiſſet ſi natus non fuiſſes. Hanc vocem audierunt bene LX Viri. Imponebatur autem eidem, quod ipſo procurante fuiſſet facta ſtrages ſupradicta. Tandem poſt aliquantulum tempus venit vox dicens ei non timeas Epiſcope Paule, fac quicquid volueris, quia ego tecum ſum. Hanc vocem audiverunt multi fratres predicatorum in quorum domo morabatur tunc extra civitatem Cracovienſem. Poſt aliquantulum vero temporis eodem anno predicto Epiſcopo ſolo exiſtente in cubiculo facta eſt vox ad eum dicens noli timere Paule fac qvecunque vis, quia ſeptimo anno morieris, nec diſtinxit utrum ſeptimo anno Epiſcopatus ſui, vel anno ſeptimo ab eo tempore quo hujusmodi vox ad ipſum facta eſt, cui reſpondit Epiſcopus: bene, quia usque ad ſeptimum annum vitam meam poſſum emendare, & hanc vocem audierunt plures qui ſtabant ante cubiculum ipſius. MCCLXXIV. factum eſt comitium generale ſub Papa Gregorio X. in quo fuerunt congregati Epiſcopi MCC. In hoc concilio greci ſunt reverſi ad obedienciam Eccleſie Romane. Nam & Patriarcha Conſtantinopolitanus celebravit in greco ibidem coram Papa in die miſſam Apoſtolorum Petri & Pauli, Rex eciam Tartarorum venit ibidem, & obedienciam Romane Eccleſie promiſit, & fidem confeſſus eſt, a quo & coronam accepit. In territorio Cracovienſi natus eſt puer cum dentibus qui ſtatim cepit loqui, & cum baptizatus eſſet, ſtatim & dentes amiſit & loquelam. Vixit autem tribus annis, & mortuus eſt. Eodem anno Dux Leſtko iterum Griphinam uxorem ſuam accepit, qua fuerat privatus. MCCLXXV. quidam puer vix annos duos habens natu, dixit fratri minorum terdicens: Domine; qui ait, quid vis? & ille, Tartari, inquit, venient & precident capita veſtra. Cui frater quis tibi dixit, cui puer, Deus, inquit. At ille times ne *inquit illos?* cui puer, *timeo inquit* quia precident capita veſtra, quod & ita factum eſt. MCCLXXVI. res miranda & horribilis. Homo quidam crudelis ſuper pauperes, & ſuis dominis infidelis cum gravi infirmitate veniſſet ad portas mortis, fratres qui vocati fuerant ceperunt ipſum inducere ad confeſſionem, quibus reſpondit, tempus quidem erat confitendi, ſed jam denegata eſt mihi poteſtas confitendi. Nam & traditus ſum poteſtati demonum, fratribus autem ipſum ad penitenciam inducentibus magis, ne de domini miſericordia deſperaret, ait, confiteri inquit non poſſum jam, ſed cito videbitis, quia traditus jam ſum in manus demonum, & ſtatim audierunt ictus duriſſimos quibus ipſum affligebant, neminem autem videbant, ſed tantum ſonum verberum & ſtrepitum audiebant, vulnera in corpore & plagas aſpiciebant. Ipſe miſer afflictus, nullam vocem dabat nec gemitum, ſed tantum vultum contrahebat & rugabat, & ſic inter verbera demonum exſpiravit. MCCLXXVIII. poſt ruinam Regis Ungarorum, filia ejus Kynga, virgo Deo devota & ſancte Marie ſemper virgini, in die ſancti Stephani protomartiris vidit in viſione quandam virginem pulcherrimam indutam pallio mirabili, que habebat literas inſertas per totum pallium de VII gaudiis beate Marie, excepta una plica pallii in qua non erant literæ, que videns puella cepit mirari, ad quam beata virgo, cur inquit miraris? ad quam puella, miror inquit tuam pulchritudinem, & cur pallium tuum non eſt per totum ornatum.

Ad quam Domina: ego ſum mater Domini, tu autem hoc pallium meum decoraſti, ſed quare heſterna die non recitaſti VII gaudia mea que ſolebas ſemper recitare, ideo hoc pallium meum non eſt per totum ornatum, verum tamen filia noli conturbari quia deſiderium tuum adimplebitur, nec de patre ſollicita ſis, qui ad majorem gloriam quam unquam fuit perducetur. Eodem anno in nativitate glorioſe virginis Marie, intravit ordinem ſancte Clare in Praga cum maxima ſolempnitate. MCCLXXVIII. In Cracovienſi diœceſi erat quidam lacus, in quo homines nullo modo poterant piſcari, propter impedimenta diaboli, cum ergo eo anno eſſet hiems magis aſpera ſolito, quidam milites & religioſi & multi ſimplices illius provincie congregati fuerunt ad capturam piſcium illius lacus cum crucibus & vexillis, & primo quidem licet cum difficultate traxerunt ſagenam habentem tres parvos piſciculos. Secundo traxerunt ſagenam maſticatam & nullum piſcem habentem. Tertio vero traxerunt cum maxima difficultate quoddam monſtrum, quod habebat caput caprinum & oculos rubicundiſſimos, quo viſo homines fugerunt, ex quo omnes fuerunt morbidi facti. Ipſum vero monſtrum cum inpoſuiſſet caput ſuum ſubtus glaciem cepit diſcurrere per aquam, ſonitum & ſtrepitum faciendo. Eodem tempore Boleslaus Dux Polonie habens adjutorio Meſtvinum Ducem Pomeranie, intravit fines Teutonicorum VIII. diebus, ſpolians terram, & ad ultimum glorioſe triumphavit de exercitu eorum. MCCLXXIX. obiit Boleslaus Dux Polonie, qui habebat uxorem, filiam Bele Regis Ungarorum. Iſte Boleslaus fuit maximus triumphator de Teutonicis, & homo virilis quia nullum regem quantumcunque potentem timebat, obiit VII idus Aprilis. Eodem anno pugnantibus cruciferis de domo Teutonica contra Lithuanos, capti ſunt duo fratres cruciferorum a Lithuanis, quoram unus cum fuiſſet ſuſpenſus ſuper altiſſimam arborem equus quoque ſub ipſo ſuſpenſus eſt, ut igne ſuppoſito utrumque vorax flamma conſumeret. Sed mirum in modum, equo per ignem conſumpto, celum apertum eſt ſuper cruciferum, & lux magna deſcendit ſuper eum, & ros deſcendens de celo ignem diſperſit in diverſas partes. Cumque lux illa aſcenderet in celum ſimul & crucifer ille aſcendit cum corpore in celum, itaque poſt diſceſſuum lucis nullum veſtigium, nulla particula vel ſignum inventum eſt de illo, videbaturque Lithuanis asſtantibus, & aſcenſionem illam mirantibus, quod virgo pulcherrima aſcenderet, in celum. Sed quia pagani hujusmodi factum aſſcribebant incantacionibus, non virtuti divine, oſtendit eis Deus aliud miraculum, quod in ſocio ſuſpenſi illius cruciferi experiri voluerunt, nam viſo predicto miraculo ſuperſtitem cruciferum dirupto trunco arboris per medium incluſerunt, circum ponentes ignem copioſum, ut vivus igne conſumeretur. Sed dominus militem ſuum pro fide certantem non reliquit ſine celeſti preſidio. Nam ſubito celum fuit ſuper ipſum apertum, & quedam avis magna alba, qualis nunquam viſa fuit ab aliquo vivente, deſcendit de celo in luce magna, & eripuit predictum cruciferum de medio igne, & tulit ſecum in celum in corpore. Quod videntes pagani dixerunt: Vere magnus eſt Deus Chriſtianorum, quia talia facit ſervis ſuis. Eodem anno in Ythalia in

vigilia beati Marci Evangeliſte, factus eſt terre motus, ex quo ſubverſe ſunt VII civitates. Miſerabiliter autem terra abſorbuit civitates, quia deſcenderunt in abyſſum cum habitationibus ſuis, & audiebatur vox clamantium de abyſſo per quatuor dies. Montes eciam duo convenerunt in unum, inter quos fluebat fluvius, qui ita fuit montibus concluſus, qui nullum meatum habens fecit lacum circa ſe ad LX. milliaria & amplius, omnia ſubvertens, multa eciam caſtra in montibus ſita, aperiens ſe terra per motum terre que ſtetit XVII diebus, ipſa caſtra cum montibus abſorbuit, aliquos montes maximos in planiciem deducens, terre penitus coequavit. & in populo ſtragem miſerabilem fecit. Nam quodam clauſtro Cyſtercienſium Ordinis 70 ſorores occidit, & alia multa mala fecit. Eodem anno obiit glorioſus princeps Boleslaus filius Leſtkonis filii Cazimiri, Dux Cracovie & Sandomirie, qui fuit homo caſtus, pudicus, ſobrius, manſvetus, nulli malum pro malo reddens, libertatum eciam conſervator, militum verus amator, religioſorum omnium fuit benefactor, regnavit autem XXXVII annis. Obiit quoque ſine prole cui ſucceſſit Leſtko per electionem militarium, frater ejus patruelis. Uxor autem Boleslai Domina Kynga poſt ſepulturam mariti ingreſſa eſt ordinem ſancte Clare cum ſorore relicta Boleslai Ducis Polonie, que fuerunt ſorores ultime filie Bele regis Ungarorum. Anno Domini MCCLXXX. primo anno electionis Ducis Leſtkonis, venit Leo Dux Ruſſie cum exercitu copioſo Tartarorum, Lithuanorum & Ruthenorum volens poſſidere Ducatum Cracovienſem & Sandomirienſem, cui occurrerunt Cracovienſes & Sandomirienſes Feria VII vigilia beati Mathie Apoſtoli in Gosliz, videlicet Petrus filius Alberti Cracovienſis & Januſſius Sandomirienſis Palatini cum DC hominibus, & proſtraverunt Tartarorum, Lithuanorum & Ruthenorum maximam multitudinem, Domino celi ipſis victoriam conferente. Ipſe autem Leo ſecundo die fugit de terra valde confuſus, quem poſt XV dies ſecutus eſt Leſtko habens ſecum XXX millia equitum, & duo millia peditum, & ſpoliavit ejus terram miſerabiliter & caſtra ſubvertit Ruſſie, reverſusque eſt ad propria cum pace & gloria. MCCLXXXII. Dux Leſtko Cracovienſis & Sendomirienſis & Syradienſis perſecutus eſt yazmizitas admonitus in ſomnio per Archangelum Michaelem & comprehendit eos ultra Nareff, quibus ſuperatis reduxit totam predam, quam ipſi de Lublin abduxerant, in quo conflictu nullus hominum occiſus eſt de ipſius exercitu, ubi & mirabile accidit, quia canes, quos predicti gentiles adduxerant, viſo Chriſtianorum exercitu ceperunt gaudere, ululare & exultare, per ſignum quo ſimul cum Chriſtianis in occiſionem gentilium converſi ſunt, mordentes atrociſſime. Eodem anno fuit maxima fames in terra Cracovienſi per quam fame infinita millia hominum iveruut alii in Ruſſiam, alii in Ungariam. MCCLXXXIII. mortua illuſtris domina conjux Domini Ducis Przimislai majoris Polonie, Lukardis nomine, filia Nicolai Ducis Caſſubitarum, mortem vero ejus nullus potuit indagare qualiter interiit, ſed ſalva reverencia iſtius hiſtoriographi, nos temporibus juventutis noſtre vidimus in caſtro Gnesnenſi capellam quandum ligneam que vulgariter appellatur Cruchta, in qua erant duo grandes lapides

in modum molarum molendini, sangvine ut dicebatur ejusdem Domine rubricati, interquos ut dicitur fuit concussa totaliter & extincta, & inEcclesiam majoremGnesnensem fuit tradita sepulture. MCCLXXXIV. Tartari terram Hungarie que dicitur de VII castris intraverunt & multos Christanos captivaverunt & occiderunt, Christus autem tutor Christianorum magnam famem & pestilenciam in eos immisit, quod audientes VII castrenses victoriam commiserunt Deo, dicentes: Melius est gladio perire, quam fame in castris & civitatibus per Tartaros interire. Vota complent ope, quod audientes Tartari Christianis se cingunt quasi coream de ipsis facientes. Videntes Christiani, fratrum suorum miserentur & per hoc paganos non impediunt ut pugnarent cum eis, sed inquiunt Christiani melius est cavere unicuique nostrum ne pereamus similiter cum illis, & tum Deo opitulante paganos superaverunt, & captivis liberatis cum magna leticia ad propria redierunt. MCCLXXXVII. Dux Lestko piissimus Cracoviensis, Sendomiriensis & Syradiensis de suis militibus & Duce Conrado Mazovie gloriose triumphavit. Siquidem dicti milites Cracovienses Ducem Conradum in preiudicium Ducis Lestkonis sibi elegerant in Dominum & heredem, sancto viro contempto, & quia Deus non relinquit justum nec semen ejus querens panem, Dux Lestko videns maliciam suorum Baronum confugit ad auxilium Ungarorum, qui statim ei affuerunt in presidium, non tantum Ungari Christiani Ducis pii & incliti cause condolentes, sed & Comani pagani ejus vicem fortissime condoluerunt, & extemplo cum dicto Duce uterque contra milites Cracovienses & Ducem Conradum acies ordinaverunt. Mirabile dictu fit congressus, Deo juvante Dux Lestko cum paucis fidelibus suis Cracoviensibus & Ungaris Comanis vix DCCC Ducem Conradum cum magna hominum multitudine fugavit, mactavit & captivavit, & sic cum gloria ad Cracoviense castrum remeavit, quod solum sibi per cives Cracovienses de omnibus castris terre Cracoviensis fuerat fideliter reservatum, Domina Griphina Ducissa in eodem castro residente, pro qua fidelitate Dux Lestko, civitatem Cracoviensem fortissimis blancis & fossatis, renitentibus militibus, eodem anno munivit, & magnas contulit libertates. Eodem anno Dux Przemislaus majoris Polonie duxit uxorem regis Svecie nomine Richsam, in octavis sancti Francisci. MCCLXXXVI. Castrum a Ruthenis & Lithuanis nomine Gostyn acquiritur, fraude vero Conradi Ducis multorum sangvis effusus est innoxius in eodem, mortuorum & captivorum DC. In eodem anno post assumptionem beate virginis Marie Cracovienses & Sandomirienses conantur ejicere Lestkonem, sed cum auxilio Regis Ungarie vincuntur, sed tamen civitatem combusserunt. MCCLXXXVIII. Dux Loktek cum Teutonicis bellum committit, & vincit eosdem. Civitas Cracoviensis Zlesiensi denuo traditur, & Dux Wladislaus pedester vix aufugit. Episcopus Paulus captivatur, & milites multi alii occiduntur, terra vastatur, & multa mala orta sunt. MCCXLII. Domina Kynga Ducissa obiit. MCCXLIV. Tartari circa Sandomiriam fuerunt, & sequenti anno strages maxima facta est in militibus per Lithuanos, & Cazimirus Dux Lancicie occiditur per eosdem. MCCXCV. Przimislius Dux majoris Polonie a Domino

Jacobo Archiepiscopo, dicto Swynka, post festum beati Johannis baptiste inungitur in Regem Polonie in Gnezna. Eodem anno Episcopus Procopius obiit, cui Johannes dictus Muscata successit Teutonicus. MCCXCVI. VI. idus Febr. Rex majoris Polonie occiditur a suis militibus, de clenodio dicto vulgariter Zaremba prope oppidum Rogoszno, cumque gravissime fuisset quasi letaliter vulneratus, & illi quasi jam mortuum reliquissent, supervenit quidam ex inimicis ipsius requirens ab eo, si adhuc supervivere valuisset, cui rex voce humili fertur respondisse, se adhuc posse supervivere, si in caloribus servaretur, atque mederetur. Fuit enim tempestas hæc in vigilia sancte Apollonie virginis. Quo audito lictor qui superastabat evaginato pugione ipsum ad terram confodiens penitus tunc extinxit. MCCXCVII. Vladislaus Loktek dictus, cum Ungaris & Polonis vastat Zlesiam. MCCC. Dominus Wyslans Episcopus Cracoviensis migravit ad Christum, cui successit Dominus Gerwaidus, qui mortuus est in curia summi Pontificis Pape. MCCCI. domicella Salomea Zemowithi Ducis filia migravit ad Dominum. MCCCII. Swantoslawa magni Ducis Russie filia, ordinis sancte Clare obiit. Eodem anno inierunt Cracovienses & Sandomirienses Russiam versus, Lublin novum, quod Rutheni occupaverunt pluribus annis, expugnaverunt, deinde in paucis cum multitudine Ruthenorum & Lithuanorum ac Tartarorum pugnaverunt, & domino cooperante de omnibus triumphaverunt. MCCCIV. Wladislaus dictus Loktek intravit terram Cracoviensem & Wysliciam obtinuit, & sequenti anno dictus Dux Wladislaus terram Sandomiriensem obtinet. MCCCVI. civitas Duci Wladislao dicto Loktek traditur. Eodem anno arsit circa Ecclesiam omnium sanctorum, & de illo igne ventus portavit super Ecclesiam Cathedralem, & totam Ecclesiam una cum toto castro penitus concremavit; quam Ecclesiam & castrum predictus Dux Wladislaus cum conjuge sua Domina Hedwige, & filio ipsorum excellentissimo Duce Cazimiro, ad statum pristinum reformat, & ad honorem sanctorum Venceslai & Stanislai martirum, ipsam Ecclesiam dedicavit. MCCCXX. Rex Wladislaus dictus Loktek coronam in Cracovia autoritate Domini Pape, per venerabilem in Christo patrem Janislaum Archiepiscopum Gnesnensem accepit. Eodem anno filia ejus Elisabeth Regi Ungarie Carolo copulatur. MCCCXXVII. Cazimirus filius Regis Wladislai dicti Loktek duxit uxorem Annam nomine, baptisatam in Christi nomine, filiam Gedimini Ducis Lithuanorum, in vigilia Apostolorum Philippi & Jacobi, quæ quidem Anna XV annos habuit a nativitate sua. Anno Domini MCCCLXXVIII. Zelet rector parochialis Ecclesie in Lekna, die beati Francisci, qui fuit dies dominica, cum missam die eodem debuisset peragere, de Ecclesia velocius cucurrit diabolico permotus spiritu, se in horreo domus sue propria manu strangulans, & quodam fune, dicto vulgariter Strikem, semet ipsum suspendens ibidem miserabiliter exspiravit. Visus est autem niger hyrcus aut aries cervicibus ejus assistere, & ipsumcum suis cornibus inhumanissime verberare.

Scias quod in sequenti Cronica multa per saltum dempta, atque per saltum scripta non sunt, sed penitus pretermissa, ut est illud & statim circa finem pro-

logi poſt verbum noſtris preconiis adaugeamus, ita habetur ſub tali ſigno. Celeſtis alimonie fidelibus erogatur eorundem patrocinium noſtre puſillimitatis opuſculum tueatur. Nam quos Deus ordinavit tanto privilegio dignitatis hominibus ceteris preeminere, oportet eosdem ſtudioſius ceterorum utilitatibus & neceſſitatibus providere. Igitur ne viles perſone, & ſic ibi habetur. Item inferius cum agitur de Boleslao Chobri, qui regnum Ruthenorum dicioni ſue ſubegit, poſt illa verba „quod illa vix credere potuit, ſed tandem aliis & aliis nunciantibus certificatus exhorruit" ſtatim ſequitur: Tunc demum pollicem ſuum & indicem ori porrigens, hamumque ſputo, more piſcatorum liniens, in ignominiam ſue gentis proverbium protuliſſe fertur. Quia Boleslaus huic arti non ſtuduit ſed arma militaria bajulare conſvevit, idcirco Deus ad manum ejus tradere civitatem iſtam regnumque Ruthenorum & divitias deſtinavit. Hæc dixit nec plura proſecutus fugam arripuit. At Boleslaus nullo ſibi reſiſtente civitatem magnam & opulentam ingrediens & evaginato gladio in aurea porta percutiens, riſu ſatis jocoſo ſuis ammirantibus cur hoc feciſſet, enodat, ſicut, inquit, in hac hora aurea porta civitatis ab iſto enſe percutitur, ſic in nocte ſequenti ſoror regis ignaviſſimi corrumpetur. Nec tamen Boleslao thoro maritali ſed concubinali ſingulari vice tantum conjungetur, hoc facto noſtri generis injuria vindicetur, & Ruthenis ad dedecus & ad ignominiam imputetur. Sic dixit, dictaque factis complevit. Igitur Boleslaus urbe ditiſſima &c.

Item inferius capitulo videlicet de Boleslao occiſore ſancti Stanislai, quoniam per Wladislaum Regem Ungarorum humiliter ſuſceptus, & ipſe pompoſiſſime in Ungariam introgreſſus. Cum enim audiſſet Wladislaus Rex Ungarie Boleslaum advenire gaudet ex amico. Hunc enim Wladislaum Boleslaus pulſo propriis viribus Rege Salomone de Ungaria in ſede regali collocavit. Boleslaus igitur Wladislaum ſuum Regem appellabat, Wladislaus ſe per eum Regem agnoſcebat. In Boleslao tamen unum adſcribendum eſt vanitati, quod ejus priſtine multum obfuit probitati. Nam cum regnum alienum fugiens introiret, cumque nullus ruſticorum fugitivo obediret, obviam ire Boleslao Wladislaus ut vir humilis properabat, eumque appropinquantem eminus equo deſcendens ob reverenciam expectabat. At contra Boleslaus humilitatem Regis manſveti non reſpexit, ſed in faſtum immanis ſuperbie cor erexit. Hunc inquit alumnum in Polonia educavi, hunc Regem in Ungaria collocavi. Non decet eum me ut equalem venerari, ſed equo ſedentum ut quemlibet de principibus oſculari. Quod attendens Wladislaus aliquantulum egre tulit, & ab itinere declinat, ei tamen ſervicium per totam terram fieri ſatis magnifice commendavit, poſt ea vero concorditer & amicabiliter inter ſe ſicut fratres convenerunt, Ungari tamen illud altius & profundius in corde notaverunt, unde magnam ſibi Ungarorum invidiam cumulavit. Jamque extrema dies cicius eum ut ajunt occupavit. Obiit autem miſerabiliter. Anno Domini MLXXXI.

Habetur ſuperius ante illud capitulum: ſucceſſit autem Boleslao pudico &c.

aſſequitur, quia numerum occiſorum non aliter ſcire potes, quam ſi arenam maris aut celi ſtellas in calculum voces. Super quo ſi vacet allegoriſtas conſule, ſi non, abaciſtas, apud quos calculandi agitur ſolertia. Hujus rei autem hodie fidem asſtruunt aggeres inſtar montium ex humatis hoſtibus, monticuli acervati, multa etiam millia ſuis vincta loramentis in Polonie colonias ſunt transvecta. Ex tunc igitur Nakel & alie potentes urbes huic regno acceſſere. Cauſa autem hujus graviſſime ſtragis hec fuit. Boleslaus ſiquidem extra metas Polonie cum ſuis diucius demoratus erat, ſancte Gneznenſis Eccleſie Archipontifex Dominus Martinus, cujus nutu, cujus arbitrio totus hujus reipublice cardo vertebatur. Huic percrebro Pomorani ſtruxerunt inſidias ut eum nece clandeſtina interficerent, tum quia eis ritum inhiberet idololatrie, tum quia decimas & primicias ab eis exigeret, ut eo ſublato regni ſimul & conſilii caput amputarent. Cumque diu venena nequitie effundere cogitarent, machinamina vir prudens induſtrie declinabat, accidit autem tandem prefatum preſulem in Spyczymirienſi oratorio obſequiis divinis intendere, & ecce aſſunt Pomerani in multitudine, dumque Pontifex inopinate vallaretur, ipſumque rapere geſtirent clamor attollitur, hoſtiumque impetus in ipſis nuntiatur paſcvis. Quo ergo fugiendum, dum mucro coruſcat micans? Quomodo rebellandum, cum nunquam cruentos luporum rictus, agnorum balatus placaverunt? Verum ut erat Archiepiſcopus ſurſum contemplacione porrectus, ſic & corpore in altum tollitur. Cujusdam enim beneficio ſcale conſcendens inter laqvearia deliteſcit. Sic ſenio vires, pedibus timor addidit alas, quos licet infirmos adjuvat ipſa manus. Illi catervatim irrumpunt, ſacris non parcunt, ſacra dirimunt & diripiunt. Quidam ergo Archidiaconum, qui ſtupore totus diriguerat proſtratus, circa aram conſpicantur, ac preſulem rati comprehendunt, non ſine tripudiis aſportant, non ſolum illum decimis & primiciis abrenunciare jubent &c. nil horum annuit, erat enim vir Domino plenus fiduciam habens in Deo, nec de ſui antiſtitis confidens ſuffragiis, cujus virtutes diligentem diſcipulum latere non poterant. Preſul autem lacrimarum torrenti pronus immergitur, ſanctuarium prophanatum, & ſacra manu contrectari ſacrilega luctuoſe deplangit, qui aram devotiſſime complexus precum devocione triduanum continuat jejunium. Nec dum e ſanctuario pater venerabilis greſſum dimoverat, cum qui ſolvit compeditos Dominus ulcionem libere egit. Quadam enim repentina conjuges & eorum parvuli correpti ſunt veſania, ut ſeſe invicem nunc ferro nunc ſaxis appeterent & ſuorum cariſſimos non tamen ut cognatos ſed ut hoſtes a ſuis domiciliis expulſant, qui dum alios attingere nequeunt, proprios artus unguibus diſſecant, aut dentibus dimordicant, qua peſte non ſine prodigioſo rugitu, non ſine horrenda jactatione plerique eorum exſpirant, tamdiu vexati ſunt, donec cauſa ſupplicii intellecta ſancta ſanctorum cum omni ſuppellectili pontifici remittunt, & pecuniam poſtulatam abnegant, catholice quoque fidei reverenciam profitentur ac Eccleſiaſticis ſeſe obſtringunt muneribus. Poſt hec Imperator Henricus ſuſcepte non immemor injurie, quam in metis Ungarorum a Boleslao ſuſceperat, congregata armatorum multitudine Poloniam ingreditur, Bitho-

mienſe municipium conatibus multis attentat, quod quoniam viris tutum & ſitu vidit pene inacceſſibile, circa urbem Glogow copias explicat, cives improviſis obſidionibus cingit & quaſi quibusdam torcularibus includit, obſides extorquet, tradicionis diem conſtituit. Suas interim illi Boleslao exponunt & deplangunt moleſtias, anguſtias, obſides preſtitos, non tam dedendi animo quam defendendi remedio. Quibus reſcribit Boleslaus, fuco nihil ignavius &c. pocius itaque obſidibus quam libertate carendum, tutius enim eſt paucorum ſaluti non parcere quam puſillaminitatis ignavia Polonos ad diſcrimen adducere. Hujus igitur mandati Glogovienſes informantur fiducia, vires colligunt, urbem muniunt, ruinas reſarciunt. Sed & Ceſaris caſtra, inde cives, illinc Boleslaus, continuis ſollicitant incurſibus. Nam eos qui caſtrorum invigilant excubiis, qui Polonie fines explorant, qui Boleslaidis undelibet tendunt inſidias, qui predam gaudent ancupari, aut vite uspiam venantur ſtipendia, omnes illi vinculis conjecti Boleslao exhibentur, vel mulctantur vite diſpendio. At Ceſar fragoſo urbem turbine involuit, molibus tormentorum circumtonat, telorum multitudine obruere contendit, ſaxorum tempeſtatem grandinat, que illi aut induſtrie ſtudio declinant, aut in Ceſaris damna retorquent. O vere viriles, o ferreos animos! O ſumme viros conſtancie! quos nec auri ſplendor demulcet, nec imperatorie Majeſtatis terror inclinat, non hoſtium illos terret impetus, non laboris frangit aſperitas, non ipſorum parvulorum pietas emollit. Qvia enim patres obliti filiorum acerrime rebellant, nunc machinis eorum parvuli alligantur, nunc omnium tormentorum genere paterno ſub aſpectu territantur, ſed incaſſum, ſtat enim inconcuſſo robore paterna fixa ſententia. Tucius enim patres prole quam patria cives exui. Nam honeſtius libertati quam liberis conſulere. Fruſtratis igitur viribus arte nimis indigna in Sileucii provincia ſigna ſurgunt bellica, ſed infauſtiſſime. Illa enim Sileucie ſtrenuitas que clariſſimis ubique triumphis emicuit, que magno quondam Alexandro tributum non ſolvit, idem & Alemanno, qui egre ferentes hoſtes ſue incubare provincie, orant Boleslaum ne prelium differat, quia mora in ſe trahit periculum, & ſacius eſſe ſemel cadere quam ſemper pendere, agat intrepide, modum ajunt indubitate reperiſſe victorie. Mandat igitur Imperatori Boleslaus: Rex paratus eſt ad prelium, & differens ſue teſtis eſt ignavie; tributum exigis, cruentum in craſtino tributum preſtolare. Nam quid a quo exigere debeas noſtro cras munere addiſces. Ut ergo primum dies illuxit, concurrunt hinc inde velites, ex adverſo acies conſiſtunt, & quantum Allemannos auget numeroſitas tanto Polonos auget & acuit animoſior audacia. Interea Silenciorum non pauca manus a tergo proſilit, non paucos in ſe ex hoſtibus convertunt, fugam ex induſtria ſimulant, continuis preliis Allemanos alliciunt, longius provocant, in provocatos reflectuntur, & obliquato cuspidum vibramine preporrectas illorum lanceas ſimul repellunt & feriunt. Quibus proſtratis advolant alii illorum ſubſidio & occiduntur & cadunt: rurſus alii, item itemque alii, donec omnis pene poſterior eorum exercitus in eos convertit. Unde non tam medie quam prime turbantur acies, que cum tumultus cauſam ignorant, ſuos fugere non perſequi autumant

mant & fere dilabuntur, quos hinc pudor inde Boleslaus conſiſtere impellit. Quot ergo erant prima pragitarum phalanges, primo congreſſu ſuccumbunt, deinde ille gigantee Alemannorum legiones, hic a Boleslao, illic a Sileucianis proſternuntur, ex quibus primipilarie Imperatoris cohortes inde retro coguntur deſcendere, certamine caballis in ipſo ictu virtute toxici cadentibus. Sic Dominus glorioſe magnificatus eſt, equum & aſcenſorem projecit in mare. Exiles eorum reliquias meſta autem ſuſcepit Lemannia, qui vitam Ceſaris pro munere, & fugam coluere pro triumpho. Supereſt argumento loci appellatio ad quem tanta canum confluxerat numeroſitas, qui tanto cadaverum eſu in quandam ferocitatem prorupere limphaticam, ut nulli omnino pateret comeatus, ideoque canum locus campeſtris ille locus nuncupatur. Porro Ducem Bohemie indilato impetu a regno exterminant, quem quondam a ſuis propulſatum Boleslaus humaniſſime ſuſcepit amplexu, piis ablactavit uberibus, quem prius Olomucenſium principem deinde pragitis ducem conſtituit. Tantas autem vices tanti beneficii retribuit, ut Imperatoriam in Boleslaum hoſtilitatem exaſperaret ſed ſue fructus perfidie non infideliter demeſſuit. Quidam enim de ſuis de conſveta illum objurgans perfidia pugione transfigit, cujus in locum Dux Borzywoy munere Boleslai ſufficitur, quem ſuorum quoque prodidit invidia immo fraterna prodidit ambicio. Ideoque rurſus in Bohemiam regreditur Boleslaus, cruentum fratricidam expulſat, & minorem ejus fratrem principatu inſignit. Rurſus princeps Ruſſie Leodarides fortune Boleslai inpatientiſſimus, ſuos Ruthenos convenit ſingulos, ſollicitat univerſos, omnes jubet ſue ingenuitatis meminiſſe, docet quante ſit infamie ſervitus &c. Omnes unanimiter ab illo recedunt, omnes in illum conſpirant, quem quidam alti ſanguinis miles, vir utique magnanimitatis generoſe, tam ſtrenuus manu quam pectore illuſtris, Petrus Wlotides Ruſſiam eandem ingrediens ſubito inter epulas occupat, crinibus a menſa abſtrahit, humi proſternit, proſtratum vincit, vinctum ad Gallinaceum aſportat, non ſine multa pullorum cede, principali tamen decuſatum ornatu, perinſigne munus Boleslao preſentat. Sic ergo ſedicionis caput amputat, ſic ſue ſalutis diſpendio, patrie ſalutem mercatur, ſic omne Boleslai regnum tranquillitati conciliat. Hujus denique Leodaride filius, in ſe parcus, in patrem prodigus, omnes private ſuppellectilis ac fiſci theſauros in patris redemcionem apprehendit, preponderare credens honeſtatem divitiis, ſed paterno peramplisſime ſaucius vulnere, cum aperta non poſſet remediari ulcione, in hoſtem diſparem remedium doloris dolum comminiſcitur. Quendam ſiquidem pannoniorum ſeu Ungarorum tam ſangvine quam dignitate inſignem, muneribus allicit, auro perſvadet, ut dolo principem Polonorum fallat, Boleslaum decipiat. Hic igitur ſui transfugii cauſam doloſe excogitat, ſuique cauſas exulatus callide componit, hanc ut inter precipuas, quod ſemper hujus reipublice amantiſſimus coadiutor extiterit, qui ſue gentis machinamenta vel extenuare ſtuduerit, vel declinare docuerit, eciam adducit emulos calumniandi ſtudio contra ſe intendiſſe, ac in ſe capitis latam ſententiam. Malle ſe malum declinare immeritum, quam innoxium caput indebite

noxe ſubmittere. Asſtruit Pannoniam ſe Polonorum dicioni ſubacturum. Igitur non ut transfugam, ſed quaſi curie proprie ipſum recipit Boleslaus, glorioſe Wislicienſis urbis prefectum conſtituit, principis poſtmodum nactus abſenciam, Leodaridam clam accelerare jubet, ne mora in ſe trahat periculum. Itaque hoſtes in foribus imminere principali edicto imperat, qui extra urbem delituerit reum eſſe majeſtatis omni ſuppellectili fiſco acceſſura, tuendam eſſe omnibus & urbis & populi ſalutem. Proinde incluſas muris legiones cruentis luporum rictibus infundit, teterrimis devovet predonum votis, in quorum cruore quam inhumane debacchata ſit impia barbaries piget meminiſſe. Ex templo Leodarides tot animarum tanto ſangvine plus irritata quam ſaciata rabie revertitur. Illum autem prodicionis patrem, perdicionis filium, perfidie alumnum privat lumine, lingva enervat, abſit inquiens ne de radice colubri, ne de prodigio perfidie, peſtilencius prodigium propagetur. Quo facto Boleslaus ut erat injuriarum indignantiſſimus animoſitate inexorabili indilatos Leodaride penas intorſit, quem non arte, non dolo, ſed juſto fulminis impetu, apro frendencius ad ipſum usque hoſtem Ruſſiam penetrat. Verum ille mali ſibi conſcius, luſtra nemorum inſilit, inter ſaltus & lucos ferarum deliteſcit. Quo non reperto Boleslaide truculencius quam leones vel tygrides partu orbate in deſertos greges deſeviunt. Non enim ipſis gregum ducibus non feris indulgent nec fetui. Adeo tocius gregis non tam cruore quam ſtrage gloriantur, non urbibus, non burgis, non municipiis, non pagis parcitur. Nec etas ulli patrocinatur aut ſexus infirmior, nullum nec ſublimitas aut ſangvis generoſior a calice ſangvinis redimit. Sic ulcione centuplata Leodarides & ille Pannonius non immerito Boleslao penas exſolvunt. Qui ſibi non parcit, mihi & tibi quomodo parcet? Omnium victorioſiſſimus fuit Boleslaus, quem cum armis vincere non poterant, ſola ſemel vicit credulitas, quem enim ſtirpis regie a Rege Pannoniorum adactum exilio amore ſolito Boleslaus excipit, quem non ſolum patrie ſed & regno reſtituere parat. Quo intellecto Pannonii dolo credulum circumſcribunt, Rege ſiquidem dolum ſubornante, primatum primi ex parte Senatus ac univerſi Magiſtratus legatorum vices gerunt, primo aſſerunt omne regnum devotis graciarum obſequiis ad ſcabellum Boleslai pervolvi, quod ſereniſſimum ipſorum lumen, quod unicum Pannoniorum remedium, tam ſereno vultu collegerit. Secundo, vultu dejecto pronis cervicibus querelas callidiſſimas commentatas aſtucia deplangunt. Tertio ſubſidiari orant, ut regem propulſent, exulem regium reſtituant, nec multum laborandum ſubſidio ſuas illi copias inſtituto pene ſuppetere, utramque tamen Majeſtatem & Boleslai & exulis flagrantiſſime ſuſpirant. His ergo princeps perſvaſionibus deceptus, cum paucis Pannoniam ingreditur, occurrunt illi Pannoniorum caterve, multa ſucceſſione ſuccreſcunt millia, omnes exulem regis nomine conſalutant, omnes paulatim trans poſtremas acies relabuntur. Rem tacite Boleslaus coniectat, Wſzeborium accerſit, qui princeps erat milicie. Suſpicaris Wſzebori, quod ſuſpicor? qui reſpondit quid ſuſpicaris? Cernis ait omnes in caudam relabi, quorum tamen cauſa agitur. Quid ergo? non eſt mora nobis libera? turpe viris non eſſe viros. At

ille: tam ſubito ſubitos non competit eſſe viros, difficiles aditus quisque ſubit ſubitus. Dum hec invicem altercantur inmenſas cum rege turmas eminus proſpicantur. Quid plura, concurrunt acies, & pila minancia pilis. Geminus Boleslaidas hoſtis urget, hic e tergo, ille a ſincipite. Eya viri, clamat Boleslaus, ut bene pugnetur, bene pugnans efficit hoſtis, unus quinque fugavit, mille duodecim millia, extracto mucrone, quem gruem vocant, didicit, inquit, grus noſter vilioris cruoris flumina e ferreis elicere ſcapulis & ſiccare. Igitur nullum ingenii robur, nullum roboris ingenium defendit, inſtar faville cuncta ventilat quorumlibet quantumlibet corpora, dictu incredibile quotquot uno pertingit vibramine, non ſcindit ſed transvolat adeo, ut quosdam illeſos putares, aut ſuo pondere aut aliorum impulſu in diverſa ſciſſim dilabuntur. Audires ceſorum capita neſcio quid horrendum balbutire. Videres non paucos loripedes, mancos, ſemivivos plus anguſtie vulnerum intendere quam prelio. Nec acriter ibi minus inſtat animoſus ille Wſzeborius, qui ſuos non minus viribus quam verbis animat. Virilius inquit in ſplendoribus orta eſt gloria, ſerenior eſt meridie, neſcit enim occaſum. Quidam autem vir non parvus genere, ſed animo degener, fugam iniit. Per hunc proh dolor filii effreni intendentes arcum, converſi ſunt in die belli, cujus ignavia cujus fuga non tam victoriam victorioſo ademit Boleslao, quam titulum victorie nube quadam obduxit, aut ut verius dicam ſolem ſole illuſtravit. Nam ad hunc usque diem ineſtimabilis Boleslai virtus tametſi crebro audita fuit, non adeo credita Pannonis, cujus dum aſturco, labore ignoro an vulnere ſuccumbit, pedeſter non ſegnior conflictu dimicat & proſternit, quem nonnulli hoſtium quaſi fulminis impetum ſtudio declinant. Tandem non victus ſed vincendo fatigatus, tot millibus ceſis a prelio divertit, quem origenarius quidam ſuo equifero ſuppeditans: Memento mei inquit domine, dum veneris in regnum tuum. Sileat ergo Pannonia, illam ſue fraudis pudeat meminiſſe, nec victi nomen jactitet, ne ignominioſo fruſtra glorietur triumpho. At Boleslaus non indignis illum fuge principem dignatur donariis, tribus illum donat muneribus, colo, penſo & leporis pelle. Colus feminam, penſum verſutum, lepus meticuloſum ſignat. Quibus ille intellectis in Oratorio proprio campane loramento miſere ſuſpenſus permiſere ſpiritum exalat, & ſic in colo patibulum, in penſo laqueum, in lepore fugam ſpiritus intelligo. Illum autem originarium ob liberalitatis inſigne ſervitute emancipat, emancipatum nobilitat. Nihil itaque Boleslao vel induſtrie defuit vel virtutis, ſi tantummodo credulitatis parcius laxaſſet habenas, de quo nota hos verſus. Alter Alexander, alter Catho, Tullius alter, non minor Alcida, ſed agilior hic & Achille. Qui dum fatale munus a ſe jam exigi ſentiret, teſtamentales jubet conſcribi codicillos, in quibus & avitarum vices virtutum & regni ſucceſſionem quatuor filiis legat, tetrarchiarum limites diſcriminans eatenus, ut penes majorem natu & Cracovienſis provincie principatus & autoritas reſideret principandi. Suggeritur ei de quinto filio adhuc infantulo, cur illius non meminerit, cur nulla illum porcione ſubſcripſerit, quibus ille, immo, inquit, longius prememini & legavi. Stupentibus illis quenam eſſe poſſet quinta

inter quartas porcio, quidam neſcio jlocalariter an ſerio ſubintulit: non cernitis quatuor tetrarchis quadrigam tetrarchie fabricatam, ſic iſti parvulo quinte rote legatur ſucceſſio? Cumque de inofficioſo pater arguitur teſtamento, ait, in pupilla oculi video quatuor ex hac lacrima manare flumina & fluctibus collidi oppoſitis quarum quedam in ipſa ſui vehementiſſima inundacione repente ſiccantur, continuo ex aurea ſitula fons aromatum erumpens eorundem alveos fluminum gemmis inundat. Ceſſat ergo inofficioſa querela teſtamenti. Equum enim eſt partes pupillares tutoribus debere mandari non pupillis. Jam vero jam ingredi jubeor, quo nemo ſine ſaluberrimo accingitur viatico. Tali ergo ſumto viatico antidoto, felice ſunctus eſt requie, idem princeps feliciſſimus &c.

Succedit autem patri Wladislaus, tam privilegio primogeniture inſignis, quam regni ſucceſſione ſublimis. Hic itaque princeps in ſe humaniſſimus uxoris atrocitate humanitatem deſtituit, qui eo triſtius imperat quo arctius uxoris indulſit amplexibus. Non enim facile de uxoribus triumphatur quibus ſemel triumphaſſe permittitur, nec eciam viciſſe contenta eſt victrix animoſitas niſi que invictiſſimorum colla ſuis ſuppeditet imperiis. Vocat enim virum ſemiprincipem imo ſemivirum qui quarta unius jugeris contentus porciuncula: promtiſſime ergo viri animum inclinat femina. Nam fraterna exutus pietate hoſtiles animos induit, & parvulos adhuc impuberes cruentiſſima rabie inſectatur, eorum urbibus occupatis ipſos exhereditare inſtituit, qui prona ſupplicatione proſtrati minime mulieris inexorabile propoſitum placare ceperunt, ac plus lacrimis quam lingvæ beneficio perorare contendunt. Sed leonis citius manſvefacies rabiem, quam ſeveram mulieris exoraveris truculentiam, ut quidam doctus in exemplis teſtatur. Cuidam enim ſapienti natus nunciatur filius, gratum, inquit, munus ac beneficium naturæ, ſed caveri jubeo ne unquam lac ſugat niſi ab uberibus atrociſſime beſtiarum. Dicunt ei querenda eſt lupa, ait minime, nunquid Leena numquid Tygris? abſit. Olaphagus? nequaquam. Quod ergo animancium eſt atrociſſimum? manſvetiſſimum, feminam ſignans. Eſt enim omnis manſvetudo feminea, omni ſeveritate truculencior, omni truculencia ſeverior. Heu infauſta belli condicio, quem paterna colunt reverencia hoſtem ſuſtinent, a quo patrocinium ſperari debuit, prelium infligitur. Verum tamen ex ipſo vulnere nata eſt vulnerum curatio. O inſupportabile ejusdam mulieris jugum! ob inexorabiles odii cauſas Archiepiſcopus Jacobus cum procerum precipuis ad pupillos defecerunt, qui ſub principe milicie cujus non longe prememini Wſzeborio, ſepius non improſpere contra Wladislaum conflixerunt. Horum freti confidencia non lacrimis indulgent, ſed armorum ſtudiis animoſius inſiſtunt. Proinde ſuorum aliquantisper minus fidens Wladislaus, exterorum turmas contrahit, quas illi manu paupercula fudere ut fama ſit illorum cruore fluminis Pilcie, juxta quod conflictum eſt, ripas alcius inundaſſe. Rurſus ergo numeroſiores imo innumeras barbarorum legiones quasdam prece allicit, precio quasdam conciliat, nonnullas poteſtates cogit imperatu, omnes in fraternum graſſari jubet

excidium, & jam omnibus dirutis ac preſidiatis illorum municipiis, jam quaſi voti compos circa Poſnanienſem urbem que ſola reſtabat eorum preſidio, tam ſuas quam Libianeorum congeſſerat copias, jam obſidionum omne ingenium omne robur per girum explicuerat, tanto ſecurior quanto milite copioſior. Delituerant interea pupilli ex induſtria cum paucis quibusdam ſed armorum exercitatiſſimis, urbi ſecrecius deliberantes ſubſidium. Hi paulatim in hoſtes procedunt, ſenſim ſubrepunt, excubias hoſtium procul a caſtris occupant, in vincula conjiciunt, ſecreta caſtrorum fateri jubent, agnoſcunt nihil ſuſpicari, & inter epulas laſciva ſecuritate torpere. Sed & cives eminentiſſime ſcuto exerto, evidens opportunitatis argumentum ſuggerebant. Adhuc ergo erant eſce in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, epulantibus inſiliunt, incautos obruunt, ſtupidos obtreuncant, erumpunt valvis patulis, evolant ex urbe preſidiarii, catervas hoſtium hinc inde ventilant, tardiusculos premunt. In hoc prelio Wladislao ſucceſſit ut naufrago inſtitori, qui vix nudus emerſit naufragio. Munitiſſime tamen preſidiatis urbibus adiit Imperatorem, cujus erat ſorore uxorius a quo ſubſidiari ſupplicat. Cracoviam interim Boleslaus & Mieſzko non jam pupilli ſed principum ſtrenuiſſimi vaſtant, obſidionibus vallant, illamque Tygridem, que urbis defendebat preſidia, dedicioni accedere jubent. Que urbe vix tandem cum opibus excuſſa, virum ſequi jubetur, cum quo in exilii calamitate contabuit.

Boleslaus igitur cognomento Criſpus, tanquam ſecundus natus, Wladislao ſuccedit. Hic omnes cupiditatum cauſas amputans ſue dignitatis primicias exercet, non ea tamen deſerens que racio ſucceſſionis poſcebat, ſed impertinentes quoque provincias ſacra indulcione collargiens Mieſzkoni videlicet & Henrico, nam Cazimirum utpote adoleſcentulum quaſi filium aliquantisper habuit, non ut illi graciam participii prorſus invideret, ſed ne tenellum vitis palmitem ſine paxilli adminiculo, vento levitatis exponeret, quia quod flamme oleum, hoc facit adoleſcenti libertas, nam & aureas adoleſcentie cathenas prudencia fabricavit. At vero Wladislaus ſui non immemor, cum ſufficientem ſe ſe ulciſcendi non haberet facultatem, Regem Pragitarum utcunque ſibi conciliat, cujus ope flammas draconis contra Boleslaum ſollicitat, cauſam affinitatis pro ſe cogentiſſimam, ſangvinis racionem pro uxore ac liberis apud Imperatorie culmen Majeſtatis allegat, preſertim cum in ipſo ſit aſilum refugii, portus naufragancium, deſolacionis ſolacium, unicum deſperacionis remedium, tocius denique calamitatis ſubſidium. Deinde tantis allegacionibus perſvaſus Imperator Boleslaum crebris legatorum interpellacionibus fatigat, ut fratrem non regno ſed patrimonii conſorcio reſtituat, qui quanto pertinacius monitis ejus parere detrectat, tanto acrius animoſitatem in ſe Imperatoris exaſperat. Omne igitur Imperii robur in unum virum conjurat, manus omnium contra Boleslaum, manus Boleslai contra omnes. Bicorne illi problema proponitur, aut regno cedat aut campeſtrem belli conflictum non declinet. Sed utrumque vir induſtrius de die in diem procraſtinans ſine bello confligit, ſine prelio triumphat. Amputat enim ac in-

tercludit omnia ubique pabulorum ſubſidia. Unde in caſtris hoſtium paulatim increbeſcente rerum inedia illud invictiſſimum robur legionum, famis peſte contabuit. Nec parvi denique temporis interjectu exule ultimum diem functo, non minus inſiſtit Imperator, ſed precibus, non armis, non minis, ſed gracia, ut ſicut in fratrem delinquentem diſcretus extitit, ſic in filiis ejus non crudelis appareat, ut ſaltem ipſorum orphanorum miſereatur. Boleslaus igitur qui ab Imperatore vinci non potuit, non dedignatur obedire imperio, nam gratuito amplexu fraternos ab exilio filios excipit, quorum nomina ſunt hec, adoleſcentioris Boleslaus, minoris Mieſzko, minimi Conradus Loripes, eosque Sileucii provincia donat, tam ob gracie inſigne, quam ad orbitatis ſolacium, nam tertium nomine Conradum cuidam cenobio conjecerat, neſcio propria profeſſio, an paterna devocio. Duo vero reliqui terra Sileucie ſuſcepta, multa poſtmodum Boleslao bellorum incommoda intulerunt. Precipuum quoque induſtrie ſtudium in populandis Getarum & Pruſſorum provinciis Boleslaus impendit, quos non ſolum perſonis ſed animabus conſtat eſſe infeſtos. Quorum quibusdam vix tandem poſt multa bellorum incommoda ſubactis, hoc edictum juſſit promulgari, ut qui Chriſtiani religionis caracterem elegiſſet, abſolutiſſima donaretur libertate, & nullum in rebus pateretur diſpendium, qui vero ſacrilegum gentilitatis ritum deſerere neglexiſſet, ultimo capitis infortunio indilate plecteretur. Sed ad modicum vapor illorum fuit religio, tanto vero brevior quanto coactior. Mox etenim in apoſtaſie reſiliunt gurgitem, inolitis idololatrie cultibus immerguntur. Quod ſcelus quanto ſegnius, quantoque interpellancius propulſatum eſt, tanto graviori Poloniam poſtmodum adegit diſcrimine. Sufficere ſiquidem ſibi arbitratus eſt Boleslaus, ſi quod principis eſt dependatur principi, licet quod Dei eſt denegetur Deo. Nec enim ulla exigitur ulcio apoſtatici contagii, dum modo ſalva ſit tributalium reverencia penſionum, & ob hanc cauſam permittente Deo non ſolum deinceps tributa non appendunt ſed contigua quoque occupant, occupata diripiunt, direpta juſtar luporum aſportant, unde ſecutum eſt, ut Boleslaus, quem zelus Dei non movit, durior ſaltem tribulacionis ictus ſtertentem excitaret. Itaque in globum congregata exercitatiſſima numeroſitas Geticar parat irrumpere provincias, nulla prorſus arte munitas, ſed nature ſitu inacceſſibiles. Eſt autem lucus in ipſo transmeatus veſtibulo, denſatis undique dumorum rapſalibus conſertus, in quo limoſi abyſſus bituminis ſub quadam graminis vernancia deliteſcit. In hac omnium electiſſimorum prime certatim ruunt acies, per anguſtum ſemite limitem, cum ex inſidiis altrinſecus hoſtes ebulliunt, ſpiculis, jaculis & quaſi cujusdam torcularis impreſſos prelio confodiunt, ipſis ultro Polonis in cuſpides, aprorum more, ulciſcendi animo ruentibus, nonnullos armorum preſſos pondere dehiſcentis abyſſi profundum abſorbuit, quorum caſum miſerabilem usque hodie diverſo modo Polonia lugubriter deplangit. Ex tunc Boleslaum bellici deſeruere ſucceſſus, ac non multo poſt etate matura deceſſit.

Defuncto itaque Boleslao ſucceſſit frater ejus tertius Mieſzko, qui

ſicut erat natu fratri proximus, ſic non interpolata regni ſucceſſione continuus. Aſtupebant illi contingentes provincie. Affavebat undique principum remotiſſimorum ſublimitas. Aſſurgebat omnis dignitatum gloria. Arridebat omnis fortunarum elegancia. Nunquam illi aut votorum ſucceſſus, aut bellorum defuere triumphi. Super omnia beatorum transcendit in utroque ſexu numeroſe prolis preſtancia, maſculina vero prole omnibus terribilis, feminea vero gracia affinitatibus quam plures mundi partes ſibi devinxerat. Dux enim Bohemorum Boleslaus gener ejus, Dux Saxonie Fredericus gener ejus, Dux Lotharingie nepos Imperatoris gener ejus, Dux maritime Boguslaus gener ejus, Dux ejusdem filius gener ejus, Dux Galicie ſocer filii unius, Dux Pomeranie ſocer alterius, Dux Rugianie ſocer tertii, nam quidam filii ejus inconjugati deceſſerunt. Sunt autem nomina filiorum ejus, ſcilicet Odo, Stephanus, Boleslaus, Mieſzko, Wladislaus, quorum duos, ſcilicet Odonem ac Stephanum ex filia regis Ungarorum, reliquos ex filia Regis Ruthenorum ſuſcepit. Quid amplius? nihil prorſus illi viſum eſt humane felicitatis defuiſſe, quamvis nemo tam felix ſit, qui non cum aliqua ſuæ felicitatis parte rixetur. Acceſſit ad hoc immo ſuper hec tante celſitudinis apex ſumma Regum exequans faſtigia. Sed ſummum ſepe infortunium ſumma parit proſperitas, preſertim cum omnis gloria quo ſublimor eſt eo ad lapſum declivior. Iſte ſiquidum Mieſzko tot prerogativarum fretus privilegio, cujusdam proh dolor ſecuritatis inſolencia in quendam incircumſpectionis torporem dilabitur, cum nulla ſit in ſummo tranquillitas, nam ipſa ſui ſerenitate proximum prenunciat tempeſtatis naufragium. In quandam enim truculencie feritatem cum filio Salomonis incidit, ut dicere preſumeret ſuis optimatibus: minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei, pater meus cecidit vos virgis, ego ſcorpionibus vos cedam. Ob quam cauſam ſciſſum & ablatum eſt ab eo regnum. Nam Getcone patre ſanctiſſimo preſule Cracovienſi ipſum hortante ut animi feritatem ergo regni inquilinos deponat, ut terram ſuam velut matrem filius, non ut privignus amplectatur, &c. hortatur inſuper Ducem ut canes rabidos, & officiales truculentiſſimos compeſcat, qui nodis diſcipline ſolutis, atrocitate cruenta, morſibus truculentis in gregem penitus confractum inceſſunt, deſeviunt, nec aliud ſitire videntur, quam ut lacerato grege cruore ebrientur. Sed fruſtra ſilici ſurculus olive inſeritur. Majores namque odii cauſas princeps in preſulem conflat, aſſerens eum etiam non zelo pietatis ſed invidia oblatrare, nec enim dolore caret ſeu prurigine quantumlibet leniſſimis apoſtematibus tactus. Unde tam de preſule quam de aliis ultum ire parat. Et Epiſcopo quidem occulcius proſcriptionis meditatur exilium, aliis vero finitimum capitis inforcunium, aut cujuslibet mutilacionis diſpendium. Sed fruſtra jacitur rete aute oculos pennatorum. Nam antiſtes omni ſapientie probatus induſtria, & ipſe illius machinamenta declinat, & alios declinare docet. Induſtrioſe deinde primi provincialium & conſulares viri ſecreta ſecum deliberacione diſceptant; Turpe, inquiunt, eſt virginitatem ancillarum duris tot calamitatibus premi. Tunc quidam virorum illuſtrium preinſignis ait: eſt non procul hinc Oliva quedam generoſioris inter

fructifera ligna propaginis, frondibus propagacior ameniſſimis, virore perpetuo ſemper feſtivior, cujus odor omnibus eſt notiſſimus, cunctis tamen incognitus, nec enim latere vos arbitror, que aut quante ſint Cazimiri virtutes, que fama virtutum omni pigmentaria ſvavitate redolens, omnem fragranciam odoraminum tranſcendens. Proinde ſub hujus umbra auram quietis captare convenit, ut ejus oleo noſtri tumor doloris ſalubriter fomentatus detumeſcat. Alioquin illa filii Gedeonis nos arguet parabola, qua docetur, qualiter ligna regem creatura ficum, vitem, olivam ut eis imperet, hortata ſunt, quibus abnuentibus carduum elegerunt, a quo ignis egreſſus omnia pene ligna conſumpſit. His itaque omnes perſvaſi, tam Cazimiri favore quam adipiſcende ſtudio libertatis Cazimirum ſuſpicantur, conveniunt, orant, ſollicitant, ut ſi regni dignitate non capitur, miſericordie ſupplicatione flectatur, ſi regnare non appetit, non tamen miſereri contemnat. Jam enim Cazimirus in fratris ſui Henrici Ducis absque prole deſuncti Thetrarchia ſucceſſerat, ad quos ille: antiqua inquit imo antiquata penes nos hujus tentacionis cavillacio, nec enim tam ſubito a veſtra potuit excidiſſe memoria, qualiter primi principum Ajax ut & Swantoslaus & cuncti pene proceres me ſcilicet renitentem ad idem regnum protrahebant, ut propulſato piiſſimo principe, fratre meo Boleslao, infauſta vindicacione ſecurius imperarem. Sed malui fraterne pietatis amplexum omni preferre imperio, nam qui fratrem odit ſui homicida eſt, quia qui fraternum in ſe cor amputat, propriis ſemet ipſum precordiis exenterat. Quoniam igitur tunc puer corde innocentie lavi pedes noſtros, qui rurſus in fraterno ſangvine inquinabo illos? O quam deteſtabiles ad principatum gradus, in me homicidium, in fratre fratricidium, in fratricidio parricidii temeritas! Quo namque pacto in ejus exterminium inſurgam, qui me plus quam paterna fovit teneritudine, quem plus quam filiali ſemper devocione colui? periniquum prorſus eſt iniquis proſperari commerciis. Inſtant illi, ſane inquiunt Princeps ſereniſſime, Boleslai parendum erat pietati, quia tum nulla honeſtatis cauſa interceſſit, ſolo factionis impetu contra illum perſtrepente. Nunc autem alia racio pactum reformat, cum omnes extrema urget neceſſitas, cum nulla ſit alias transmigrandi facultas. Vix itaque tam creberrimis inſtancium importunitatibus, quam amiciſſimorum impulſus conſiliis, Cracoviam cum paucis adiit, cavens ne violenta magis ipſius occupacio videatur, quam ultronea civium electio. Occurrunt illi alacriter, indicibiles exercitus numeroſi caterve, undique turme confluunt, exultant, gratulantur, ſalvatorem proclamant adveniſſe. Omnis illum etas amplectitur, omnis adorat condicio, dignitas omnis veneratur.

Igitur Cazimiro nobiliſſimo principi valve civitatis Cracovienſis, invictiſſimis inſtructe preſidiis, ultro patefiunt, ultro ab arce deſiliunt, quos Mieſzko urbis preſidio prefecerat, cunctique prona cervice ſcabello Cazimiri advolvuntur. Omnium concurrunt vota, omnium conjurant ſtudia, princeps ab omnibus adoratur. His imperterritus Mieſzko ſumme magnanimitatis princeps, ſuorum conſilia, fidem, animos & robur explorat, ſed ſero. Quia enim neglecto langvori non facile ſuc-

curritur, nec eſt in maris fundo conſultacio naufragii. Eodem namque momento quo illi Cazimiro ſeſe jurisjurandi religione conſtrinxerant, pro illo conſtantiſſime morituros in omni loco & tempore pollicentur. Sed & Mieſzkonis proceres ab eo dilabuntur & Cazimiro adherent. Inter quos Dux Odo ejus primogenitus, hoſtis atrociſſimus proprii radicem ſtipitis eradicare contendit, in proprium verticem flammas congerit. In patris excidium procaciſſimus ea de cauſa, ut noverce filios, quibus pater poſt ſe regni ſucceſſionem ſpoponderat, a regno arceret. Igitur Mieſzko non tam fraternis a regno eliditur armis, quam ſuorum perfidia. Qui pene ab omnibus deſertus, patria ſimul excedit & regno, finitimo cum tribus filiis contentus oppidulo. Circumſiliunt illum undique infortuniorum agmina. Nam gener illius Boleslaus Dux ſtrenuiſſimus a regno Bohemie profugatur, alter gener Dux Saxonie ac Bavarie ab hoſtibus circumquaque impetitur, imo a quibuscunque ſolacium ſperare debuerat, propriis adeo neceſſitatibus urgentur, ut nec modicillum ſubſidii polliceri poſſint. Omnes quoque maritimorum preſides non ſolum obſequele renunciant, ſed & hoſtilitatis in illum arma capeſſunt. Omnes Cazimiri gaudent ſubeſſe imperio. Cui dum omnes urbes, provincie ac municipia ſine bello gratulantur ac patefiunt, Sileuciana viſa eſt rebellare provincia, cujus principatum Mieſzko Wladislaides, fratre abacto Duce Boleslao, rapuerat, hanc Cazimirus non minus extortam Boleslao reſtituit, ſed & eundem Mieſzkonem per ſuam ſtrenuitatem largicione quorundam oppidorum obſtrinxit, fratrem quoque ipſorum Conradum Glogovienſis marchie principem creat, Odonem vero Poſnanienſi principatu inſignit, Leſtkoni autem filio Boleslai Criſpi, provincias paterno teſtamento relictas confirmat. Nam idem Boleslaus Criſpus moriens filio ſuo Leſtkoni Mazovienſem provinciam legavit hoc pacto, quod ſi hunc Leſtkonem absque liberis mori contigerit, prefata porcio cedat Cazimiro, preſidi quoque earundem provinciarum, ſcilicet Mazovienſis & Cujavienſis omnibus virtutibus predito principi Syroni quia juvenis erat tutelam commiſit. Ejusdem Syronis nepotem Gedanenſem marchionem conſtituit, nomine Samborium. Qvendam quoque cui nomen Boguslaus ſive Theodorus, maritimum Ducem conſtituit. Nam Gnesnenſem provinciam, que eſt omnium apud Lechitas metropolis, cum ſuffraganeis undique municipiis, proprii principatus corpori innectit. Sed & Ruſſie nonnullas jubet accedere provincias, Przemislienſem cum oppidis contingentibus, Wladimirienſem cum ducatus integritate, Brzeſzenſem cum omnium ſuorum incolatu, Drahinenſem cum ſuorum univerſitate. Sic itaque Cazimirus fit monarcha Lechie. Sic quatuor fratrum Wladislai, Boleslai, Mieſzkonis & Henrici quatuor principatus in ſolum Cazimirum confluxerunt, ſicut pater longe predixerat, de quatuor loquens fluminibus, per que quatuor Monarchias figuravit, per alveos quatuor, quatuor principatus, Cazimirum per auream ſitulam, virtutes ejus, per fontem aromatum ſignificans. Igitur ſervitutis loramentum disrupit, exactoria juga diſſipat, tributa diſſolvit, vectigalia relaxat, onus non tam alleviat quam pocius exonerat, angarias & perangarias expirare jubet.

MARTINI GALLI

CHRONICON.

Domino M. Dei gracia ſummo pontifici, ſimul Symoni, Paulo, Mauro, Syroslao, Deo dignis ac venerandis pontificibus Polonie regionis, nec non eciam cooperatori ſuo, venerabili Cancellario Michaeli, ceptique laboris opifici, ſubſequentis ſcriptor opuſculi ſupra montem ſanƈti Gregorii, vigilanti ſtudio ſpeculari, ac de virtute in virtutem gradiendo, Deum Deorum facie ad faciem contemplari. Ni veſtra autoritate ſuffultus patres particulari, veſtraque opitulacione fretus fuerim, meis viribus in vanum tanti ponderis onus ſubirem & cum lembo periculoſe fragili tantam equoris immenſitatem introirem. Sed ſecurus nauta poterit in navicula reſidens per undas ſevientis freti navigare, qui nauclerum habet peritum, qui ſcit eam certo ventorum & ſyderum moderamine gubernare. Nec maluiſſem quoquo modo tante caribdis naufragium irritare, ni libuiſſet veſtre caritati meam naviculam veſtri remigii gubernaculis ſublevare. Nec de tanta ſilvarum denſitate ignarus vie potuiſſem exire, ni veſtre benignitati placuiſſet certas mihi metas interius aperire. Tantorum igitur reƈtorum adminiculis inſignitus, portum ſubibo ſecurus, ventorum turbinibus expeditus, nec dubitabo laxis velis viam ingredi, cum agnoverim reƈtorum oculos precedencium luce lucidius coruſcare, & cum tales premiſerim cauſidicus defenſores, flocci pendam quicquid murmurarint invidioſi detreƈtatores, & quoniam fortuna vos fautores obtulerit juſte rei dignum duxi, tantos viros inſerere quaſi Cronicam ſcribens. Veſtro namque tempore illuſtravit Poloniam Boleslaus tercius geſtis memorabilibus & famoſis, & cum multa & magnifica vobis geſta pretermittam degentibus, quedam tamen ſuggerere ſubſequentium poſteriorum memorie non obmittam. Sed ad preſens vos uno ore una mente unanimes, & quos indiſſolubele caritatis vinculum anneƈtit, veſtris quoque preconiis anneƈtam. Igitur ne videamur vanitatis fimbrias dilatare, codicillum non noſtro decrevimus ſed veſtris nominibus titulare, quo cunƈta que laudi hujus operis & honori, hujus patrie principibus aſſcribamus, noſtrum vero laborem laboriſque tallionem veſtre diſcretionis arbitrio fiducialiter committamus. Spiritus ſanƈti gracia, qui vos dominici gregis paſtores ordinavit, tale ſuggerat conſilium veſtre menti, quo princeps digna det munera promerenti, unde vobis honor ſibique gloria proferenti. Semper gaudete, nobis operique favete.

Boleslaus Rex inclitus, Dei dono progenitus. Hic per preces Egidii ſumpſit cauſam exordii. Qualiter illud fuit ſi deus annuerit poſſumus vobis dicere, ſi placeat addiſcere. Relatum eſt parentibus ſucceſſore carentibus, conflant auri congeriem in humanam effigiem, quam mittant ſanƈte Pape, ut eis faveat pro ſpe, votumque deo voveant, atque firmam ſpem habeant. Aurum illico funditur, effigies efficitur, quam pro futuro filio, ſanƈto mittunt Egidio, aurum, argentum, pallia,

donaque mittunt alia, veſtes ſacras & aureum calicem ſat idonem. Nec mora, miſſi properant per terras quas non noverant, preterientes Galliam pervenerunt provinciam, miſſi munera proferunt, monachi grates referunt, cauſam narrant itineris & qualitatem operis. Tunc monachi continuo jejunavere triduo, & dum agunt jejunium, mater concepit filium, & pro puerpera pronunciant qui miſſi ſic fuerant, monachi rem recipiunt, miſſi redire cupiunt, transeuntes Burgundiam remearunt Poloniam. Ergo gravem inveniunt Duciſſam quando veniunt. Sic puer ille naſcitur, qui Boleslaus dicitur, quem Wladislaus genuit Dux, ſic Deus voluit. Genitrix Judith nomine, fatali forſan omine. Judith ſalvat populum per Olofernis jugulum. Iſta peperit filium, triumphatorem hoſtium, de cujus geſtis ſcribere, jam tempus eſt inſiſtere.

Quoniam orbis terrarum in univerſitate ſpacioſa a Regibus ac Ducibus plurimis regitur, qui plurima memoria digna gerunt, que faſtidioſa negligencia, plurimorum forſitan inopia ſilencio conteguntur, opere precium duximus, quasdam res geſtas polonicorum principum, gracia cujusdam glorioſiſſimi Ducis ac viƈtorioſiſſimi, nomine Boleslai, ſtilo incondito pocius exarare, quam ex toto poſterorum memorie nihil memorabile reſervare. Ob hoc eciam maximeque Dei dono precibusque ſanƈti Egidii natus fuit per quem ut credimus bene fortunatus ſemperque viƈtorioſus extitit. Sed quia regio Polonorum ab itineribus peregrinorum eſt remota, & niſi transeuntibus in Ruſſiam paucis nota, ſi breviter inde deſcribatur nulli videatur abſurdum, & ſi deſcribendo pro parte tota inducatur, nemo reputet oneroſum. Igitur ab aquilone Polonia ſeptentrionalis pars eſt Sclavonie, que habet ab oriente Ruſſiam, ab auſtro Ungariam a ſubſolano Moraviam & Bohemiam ab occidente, Daciam & Saxoniam collaterales. Ad mare autem ſeptentrionale tres habet affines Barbarorum gentilium ferociſſimas naciones, Seleuciam, Pomeraniam & Pruſſiam, contra quas regiones Polonorum Dux aſſidue pugnat, ut eas ad fidem convertat. Sed nec gladio predicationis cor eorum à perfidia potuit revocari, nec gladio jugulacionis eorum penitus viperalis progenies aboleri, ſepe tamen principes eorum a Duce Polonie prelio ſuperati ad baptismum confugerunt, itemque colleƈtis viribus fidem Chriſtianam abnegantes, contra Chriſtianos bellum denuo paraverunt. Sunt eciam ultra eas alie barbare gentilium naciones & inſule inhabitabiles, ubi perpetua nix eſt & glacies. Igitur terra Sclavonica ad aquilonem his regionibus ſuis &c. in Daciam & Saxoniam terminatur, a Tracia autem per Ungariam deſcendendo per Chorinthiam & Bavariam diffinitur, ad auſtrum vero juxta mare mediterraneum ab Epyro derivando per Dalmaciam, Stromaciam & Iſtriam finibus maris adriatici terminata, ubi Venecia & Aquilegia conſiſtunt, ab ytalia ſequeſtratur. Que regio quamvis ſit multum nemoroſa, auro tamen & argento, pane, carne, piſce, melle, ſatis eſt copioſa, & in hoc plurimum aliis preferenda. Que eciam cum a tot ſupra diƈtis gentibus & Chriſtianis & gentilibus ſit vallata, & a cunƈtis inſimul, & a ſingulis multocies impugnata, nunquam tamen ab ulla fuit

penitus subjugata, ubi aer salubris, terra fertilis, silva melliflua, aqua piscosa, milites bellicosi, rustici laboriosi, equi durabiles, boves arabiles, vacce lactose, oves lanose. Sed ne digressionem nimium prolixam fecisse videamur, ad intencionis nostre propositum revertamur. Est autem intencio nostra de Polonia & Duce Boleslao principaliter describere, ejusque gracia quedam gesta predecessorum digna memorie recitare. Nunc ergo sic ordiri materiam incipiamus, ut per radicem ad ramum arboris ascendamus. Qualiter ergo ducatus honor cognacioni huic acciderit subsequens ordo narracionis intimabit.

De Duce Popelone dicto Choszysk.

Erat namque in civitate Gneznensi, que nidus interpretatur Sclavonice, Dux nomine Popel, duos filios habens, qui more gentilitatis ad eorum tonsuram grande convivium preparavit, ubi plurimos suorum procerum & amicorum invitavit. Contigit autem ex occulto Dei consilio duos illuc hospites advenisse, qui non solum ad convivium non sunt invitati, verum eciam a civitatis introitu cum injuria sunt abacti, qui statim civium illorum inhumanitatem abhorrentes & in suburbium descendentes, ante domunculam aratoris predicti Ducis pro filiis convivium facientis forte fortuna devenerunt. Ille vero bone compassionis pauperculus predictos hospites ad domunculam propriam invitavit, suamque paupertatem eis benignissime presentavit. Illi pauperis invitacioni gratanter inclinantes, & hospitalitatis tugurium subeuntes, bene, inquiunt, nos advenisse gaudeatis & in nostro adventu bonorum copiam & de sobole honorem & gloriam habeatis.

De Pazt & filio Choszyszconis.

Erat enim hospitio domestici Pazt filius Choszyszconis & uxor ejus Repca vocabulo nuncupati, qui cum magno cordis affectu pro posse suo hospitum necessitati ministrare satagebant, qui eorum prudenciam intuentes, secretum si quod erat cum eorum consilio perficere disponebant, cumque de more colloquerentur de plurimis, & peregrini an ibi potus habeatur inquirerent, arator hospitalis respondit: est, inquit, mihi vasculum cerevisie fermentate, quam pro cesarie filii quem habeo unici tondenda preparavi. Sed quid prodest hoc tantillum? si libeat ebibatis: decreverat enim rusticus ille pauper quia dominus suus dux pro filiis convivium prepararet, nam in alio tempore pre nimia paupertate non poterat, aliquid obsonii pro suo tondendo parvulo preparare, & quosdam amicorum & pauperum non ad prandium sed ad jentaculum invitare, qui eciam porcellum nutriebat quem ad illud servicium reservabat. Mira dicturus sum, sed quis valet Dei magnalia cogitare vel quis audet de divinis beneficiis disputare, qui pauperis humilitatem temperat, aliquocies exaltat, & hospitalitatem eciam gentilium remunerare non recusat. Imperant igitur ei hospites securi cerevisiam propinare, quam bene noverant propinando non deficere, sed augeri, usque adeo enim crevisse fertur cerevisia, donec vasa mutuata replerentur omnia

omnia, & porcellum supradictum occidi, unde X situle sclavonice, mirabile dictu, memorantur adimplete. Visis igitur Pazt & Repca miraculis que fiebant, aliquid magici prestigii de puero senciebant. Jamque Ducem & convivas invitare cogitabant, sed non audebant nisi prius peregrinos hospites interrogarent, qui annuunt consilio, itaque hospitum exhortatione Dominus eorum Dux & convive omnes ad agricolam Pazt invitantur, neque rustico suo Dux condescendere dedignatur invitatus, nondum enim Ducatus Polonie erat tantus, neque princeps orbis tanto fastu superbie tumescebat, nec tot cuneis clientele stipatus ita magnifice procedebat. Parato de more convivio & abundanter omnibus apparatis, hospites illi puerum totonderunt, eique Semovith vocabulum ex presagio futurorum indiderunt.

His itaque peractis, puer Szemovith filius Pazt Choszyszconis viribus & etate crevit, de die in diem in augmentum proficere probitatis cepit, eotenus quod Rex Regum & Dux eum Polonie Ducem concorditer ordinavit, & de regno Popeli sobolem radicitus extirpavit. Narrant eciam seniores antiqui quod Popel de regno expulsus tantam a muribus persecucionem patiebatur, quod ob hoc a suis persequentibus in insulam transportatus, & ab illis illuc transnatantibus, in turri lignea tam diu sit defensus, donec pre fetore pestifero multitudinis interempte ab omnibus derelictus morte turpissima monstris corrodentibus expiravit. Sed istorum gesta quorum memoriam vetustatis oblivio abolevit, & quos error & idololatria defedavit, memorare negligamus, & ad ea recitanda, que fidelis recordacio meminit, ista succincte memorando transeamus. Szemovith vero principatum adeptus, voluptuose vel inepte inventutem suam non exercuit, sed usu laboris & milicie, probitatis famam & honoris gloriam acquisivit, atque sui principatus fines ulterius quam aliquis ante dilatavit, cui successit mortuo Lesthko filius ejus pro eo, qui paterne probitati & audacie gestis sese militaribus coequavit. Lesthkoni quoque morienti Szemomisl ejus genitus successit, qui parentum memoriam & generis dignitatem duplicavit.

De cecitate Mieszkonis filii Zemomisl Ducis.

Hic autem Zemomisl magnum & memorandum Mieszkonem progenuit, qui primus vocatus nomine illo. Septem annis a nativitate cecus fuit, septimo vero recurrente nativitatis ejus anniversario, pater pueri more solito convocata comitum aliorumque principum concione, copiosam epulacionem & solemnem celebrabat, & tamen inter epulas pre cecitate pueri doloris memor ab imo pectore suspirabat. Aliis equidem exultantibus & palmis ex consvetudine plaudentibus, leticia alia aliam cumulant que visum recepisse cecum puerum nunciat. At pater illi nuncianti hoc non credidit, donec mater de convivio exsurgens ad puerum introivit, que patri nondum vulnus ambiguitatis amputavit, cunctisque residentibus videntem puerum pronunciavit. Zemomisl autem senio confectus extremum vale postmodum mundo fecit.

Anno

Anno Domini DCCCCLXV. Mieszko Ducatum adeptus ingenium animi cepit & vires exercere, ac naciones per circuitum bello sepius attentare. Adhuc tamen in tanto gentilitatis errore volvebatur, qui sua consvetudine septem uxoribus abutebatur, postremo unam christianissimam de Bohemia Dambrowcam nomine requisivit, filiam Ducis Bohemie. At illa ni pravam illam consuetudinem omittat, seseque Christianum fieri promittat, sibi nubere recusavit. Eo igitur collaudante ipsam, se illius paganismi errorem dimissurum & fidei Christiane sacra suscepturum promittebat. Illa domina cum magno religionis apparatu Poloniam introivit, nec dum tamen se se thoro maritali federavit, donec ille paulatim consvetudinem Christianitatis & religionem Ecclesiastici ordinis diligenter contemplatus, errori gentilium abnegavit.

Anno Domini DCCCCLXVII. de hac benedicta femina Dambrowka, gloriosus Dux Boleslaus generatur, qui post patris obitum regnum viriliter gubernavit, & in tantam deo favente virtutem & potenciam excrevit, quod, ut sic eloquar, sua probitate totam Poloniam deauravit. Quis enim ejus gesta forcia vel certamina contra populos circumquaque commissa digne valuit enarrare, nedum eciam scriptis memorabilibus commendare? Namque ipse Moraviam & Bohemiam subiugavit, & in Praga Ducalem sedem obtinuit, suisque eam suffraganeis deputavit. Nunquam non ipse Ungaros frequenter in certamine superavit, totamque terram eorum usque Danubium suo dominio mancipavit. Indomitos vero Saxones tanta virtute edomuit, quod in flumine Sala in medio terre eorum meta ferrea fines Polonie terminavit. Quid igitur est necesse victorias & triumphos de gentibus incredulis nominatim recitasse, quas constat eum quasi sub pedibus conculcasse? Ipse namque Seleuciam, Pomeraniam & Prussiam usque adeo vel in perfidia resistentes contrivit, vel conversos in fide solidavit, quod Ecclesias ibi multas & Episcopos per Apostolicum, imo Apostolicus per eum ordinavit. Ipse eciam beatum Adalbertum in longa peregrinacione & a sua rebelli gente Bohemica multas injurias perpessum ad se venientem, cum magna veneracione suscepit, ejusque predicationibus & institucionibus fideliter obedivit. Sanctus vero Martyr igne caritatis & zelo predicacionis accensus, ut aliquantulum jam in Polonia fidem pullulasse & sanctam Ecclesiam excrevisse conspexit, intrepidus Prussiam intravit, ibique Martirio suum agonem consummavit, postea vero corpus ipsius ab ipsis Prussis Boleslaus auri pondere comparavit, & in Gnezna metropoli condigno honore sepelivit. Illud quoque memorie dignum commendandum estimamus, quod tempore ipsius, anno videlicet Domini M. Otto ruffus Imperator ad sanctum Adalbertum oracionis & reconciliacionis gracia, simulque gloriosi Boleslai cognoscendi fama introivit, sicut in libro de passione Martiris potest inveniri, quem Boleslaus sic honorifice & magnifice suscepit, ut Regem Romanum Imperatorem ac tantum hospitem suscipere decens fuit. Nam magnificenciam mirificam Boleslaus in adventu Imperatoris prodidit. Inprimis acies militum multimodas, deinde principum in planicie spaciosa quasi choros ordinavit, singulas quoque separatim acies diversitas indumentorum discolor variavit, & non quelibet erat ibi varietas ornamenti, sed quicquid poterat usquam gencium preciosius reperiri. Quippe Boleslai tempore quique milites & queque femine curiales, pellibus pro lineis vestibus vel laneis utebantur, nec pelles quantumlibet preciose licet nove fuerint in ejus curia sine pellio & aurifrisio portabantur. Aurum enim ejus tempore commune quasi argentum ab omnibus habebatur. Argentum vero vile quia pro stramine tenebatur. Ejusdem gloriam, potenciam & divicias Romanus Imperator considerans admirando dixit: per Coronam imperii mei majora sunt que video, quam fama percepi. Suorum consulto magnatum coram omnibus adiicit: Non est dignum tantum virum sicut unum de principibus Ducem aut Comitem nominari, sed in regale solium redimitum diademate sublimari; & accipiens regale diadema capitis sui, capiti Boleslai in amicicie fedus imposuit, & pro vexillo triumphali clavum ei de cruce domini cum lancea sancti Mauricii dono dedit, pro quibus illi Boleslaus sancti Adalberti brachium redonavit, & tanta scilicet illa die dilectione congregati, quod imperator eum fratrem & cooperatorem imperii instituit, & populi romani amicum & socium appellavit. Insuper & in Ecclesiasticis quicquid ad imperium pertinebat, in regno Polonorum vel in aliis superatis ab eo vel superandis regionibus barbarorum, sue suorumque successorum potestati concessit, cujus paccionis decretum Papa Silvester sancte Romane ecclesie privilegio confirmavit. Igitur Boleslaus tam gloriose in regem ab Imperatore sublimatus inditam sibi liberalitatem exercuit, cum tribus sue coronacionis diebus convivium regaliter & imperialiter celebravit, singulisque diebus vasa omnia & suppellectilia transmutavit, aliaque diversa, multaque preciosiora presentavit. Finito namque convivio pincernas & dapiferos vasa aurea & argentea, nulla enim lignea habebantur ibi, cyphos & cuppas, lances & scutellas & cornua de mensis omnibus trium dierum congregari precepit, & Imperatori pro honore non pro principali munere presentavit. A camerariis vero pallia extensa, cortinias, tapecia, strata mantilia, manutergia & quecunque servicio presentata fuerant, jussit similiter congregari, & in cameram Imperatoris comportari. Super alia plura dedit vasa scilicet aurea & argentea diversi operis, pallia diversi coloris, ornamenta generis ignoti, lapides preciosos, tot & tanta presentavit, quod Imperator pro miraculo tanta munera reputavit. Singulos vero principes ejus ita magnifice muneravit, quod eos ex inimicis amicissimos acquisivit. Sed quis dinumerare poterit qualia & quanta majoribus dona dedit, cum nec unus quidem inquilinus de tanta multitudine sine munere recessit. Imperator autem letus magnis cum muneribus ad propria remeavit. Boleslaus vero regnans in hostes iram veterem renovavit. Nam Anno Domini MXVIII. contra Regem Ruthenorum viriliter dimicavit, qui sibi sororem suam dare in matrimonium denegavit, quod Boleslaus Rex indigne ferens in magna fortitudine Ruthenorum regnum invasit, eosque primum armis resistere conantes sed non ausos, sicut ventus pulverem ante suam faciem profugavit, nec statim hostili more civitates capiendo vel pecuniam congregando suum iter retardavit, sed ad Kyow caput regni ut arcem regni simul

ſimul & Regem caperet feſtinavit. At Ruthenorum Rex ſimplicitate gentis illius in navicula forte cum hamo piſcabatur, cui Boleslaum Regem adeſſe ex inſperato nunciant, quod ille vix credere potuit, ſed tamen aliis & aliis ſibi nunciantibus certificatus exhorruit. Tunc Boleslaus civitatem magnam & opulentam, nullo ſcilicet reſiſtente ingrediens, gladio in auream portam percuſſit, cumque civitate potentiſſima regno Ruthenorum potitus cum magno theſauro in Poloniam remeabat. At illum cum ingenti gaudio ad propria remeantem, Rex Ruthenorum fugitivus collectis viribus ducum Ruthenorum a tergo ſubſequitur, & ad fluvium Bugam prelium committere, certus de victoria, conabatur. At Rex Boleslaus videns milites ſuos paucos eſſe, hoſtes vero quaſi cencies tantum fere, ſuos milites confortans & de Dei miſericordia confidens, hoſtes confertiſſimos ſicut leo ſiciens penetravit. Nec eſt noſtre facultatis recitare, quantas ſtrages hoſtium ibi ſtravit, neque quisquam valet peremptorum hoſtium quanta millia ibi ceciderint enarrare. Aſſerebant namque plurimi pro certo qui poſt multos dies pro amicis vel propinquis inveniendis ad locum certaminis de longinquis regionibus veniebant, tantam ibi cruoris effuſionem fuiſſe, quod nullus poterat niſi per cruorem & ſuper cadavera per totam planiciem ambulare, totum Bugam fluvium plus cruoris quam fluminis retinere. Ex eo eciam tempore Ruſſia polonie vectigalis diu fuit.

De potencia & magnificencia Regis Boleslai.

Plura itaque & majora ſunt geſta Boleslai quam a nobis poſſint deſcribi, vel nudis ſermonibus enarrari. Nam quis aritmeticus ſatis certo numero ferratas ejus acies valeat computare, ne dum eciam deſcribendo victorias & triumphos tante multitudinis recitare. De Poznan namque mille trecenti loricati milites cum quatuor millibus clipeatorum militum; de Gnezna mille quingenti loricati & quinque millia clipeatorum; de Wladislaw caſtro octingenti loricati & duo millia clipeatorum; de Condeck trecenti loricati & duo millia clipeatorum. Hi omnes fortiſſimi & ad bella promtiſſimi Boleslai tempore procedebant. De aliis vero civitatibus & caſtellis nobis longus & infinitus labor eſt enarrare & vobis forſitan faſtidioſum fuerit hoc audire. Sed ut vobis faſtidium mirandi pretermittam, numerum vobis ſine numero multitudinis anteponam, plures namque habebat Rex Boleslaus milites loricatos quam habebat noſtro tempore tota Polonia clipeatos, tempore Boleslai totidem in Polonia fere milites habebantur, quot homines cujusvis generis noſtro tempore continentur.

De virtute & nobilitate glorioſi Boleslai.

Hec erat Boleslai magnificentia militaris, nec inferior ei erat virtus obediencie ſpiritualis. Epiſcopos quippe ſuos atque capellanos in tanta veneracione retinebat, quod eis aſtantibus ſedere non preſumebat, nec eos aliter quam Dominos appellabat. Deum vero ſumma pietate colebat, ſanctam Eccleſiam exaltabat, eamque donis regalibus adornabat.

bat.

bat. Habebat eciam preterea magnum juſticie & humilitatis inſigne, quod ſi quando rusticus pauper vel muliercula quelibet de quovis Duce vel Comite quereretur, quamvis eſſet magnis negociis occupatus multisque cuneis & magnatum & militum conſtipatus, non prius ſe de loco demovebat, donec cauſam ex ordine conquerentis anſcultaret, & pro illo de quo querebatur Camerarium transmandaret. Interim vero ipſum conquerentem alicui fideli ſuo commendabat, qui eum procuraret, ſibique cauſam adverſario adveniente ſuggereret, & ſic ruſticum quaſi pater filium admonebat, ne abſentem ſine cauſa accuſaret, & ne injuſte conquerendo iram, quam alteri conflabat, ſibimet ipſi cumularet. Nec accuſatus citiſſime vocatus venire differebat, nec diem a Rege conſtitutum qualibet occaſione preteribat, adveniente vero principe pro quo miſſum fuerat, non ſe illi maligne commotum oſtendebat, ſed alacri eum & affabili vultu recipiens ad menſam invitabat, neque eo die ſed ſequenti vel tercia cauſam diſcutiebat. Sicque diligenter rem pauperum ut alicujus magni principis pertractabat. Hec eſt juſticia & equitas Boleslai.

De prelio Boleslai cum Ruthenis.

Quoddam autem factum memoria dignum referamus, ex cujus rei conſideracione humilitatem ſuperbie preferamus. Contigit namque uno eodemque tempore Boleslaum Regem Ruſſiam, Ruthenorum vero Poloniam, utroque de alio neſciente hoſtiliter introiſſe, eosque ſuper fluvium, alterum in alterius termino regionis, interpoſito flumine caſtra milicie poſuiſſe. Cumque nunciatum eſſet Ruthenorum Regi Boleslaum ultra jam fluvium tranſiviſſe, inque ſui regni confinio cum exercitu conſediſſe, exiſtimans Rex inſulſus ſe quaſi predam in retibus cum ſua multitudine concluſiſſe, proverbium ei magne ſuperbie capiti ſuo retorquendum dicitur mandaviſſe: noverit Boleslaus ſe tanquam ſuem in volutabro canibus & venatoribus circumcluſum. Ad hec Rex Polonie remandavit. Bene, inquam, ſuem in volutabro nominaſti, quod in ſangvine canum & venatorum tuorum, id eſt Ducum & militum tuorum, pedes equorum meorum inficiam, & terram tuam & civitates cum feris depaſcam. His verbis utrinque renunciatis, die ſequenti ſolemne inminebat, quod Rex Boleslaus celebraturus in diem tertium bellum committere differebat, eo namque die animalia innumerabilia mactabantur, quo ſequenti ſolemnitate ad menſam Regis cum omnibus ſuis principibus pro comeſtione more ſolito parabantur. Omnibus itaque coquis inquilinis, apparitoribus, paraſitis exercitus, ad animalium carnes & exta purganda ſuper ripam congregatis, ex altera ripa Ruthenorum clientes & armigeri clamoſis vocibus inſultabant, eosque probroſis injuriis ad iracundiam laceſſebant. Illi vero nihil injurie e contrario reddebant, ſed inteſtinorum ſordes & inutilia contra eorum oculos projiciebant. Cumque Rutheni magis eos magisque contumeliis incitarent, & ſagittis eciam acrius infeſtarent, cum armis militum in meridie dormientium, fluvio transnatato, Boleslai paraſitorum exercitus ſuper tanta Ruthenorum multitudine triumphat. Boleslaus itaque

que

que Rex & exercitus totus clamore ſimili & ſtrepitu armorum excitatus, quidnam hoc eſſet ſciſcitantes, cognita rei cauſa ex induſtria cogitantes, cum ordinatis aciebus in hoſtes undique fugientes irruerunt, ſicque paraſiti nec gloriam victorie ſoli, nec ſangvinum noxam ſoli habuerunt. Tanta vero fuit ibi militum flumen transeuntium multitudo, quod non aqua videbatur ab inferioribus, ſed quedam itineris ſiccitudo. Hoc autem tantillum de bellis ejus dixiſſe ſufficiat.

De diſpoſicione equitatis in Polonia & virtute Boleslai.

Igitur Rex Boleslaus in Eccleſiis conſtruendis, & Epiſcopatibus ordinandis beneficiisque conferendis ita devotiſſimus exiſtebat, quod ſuo tempore Polonia duos metropolitanos cum ſuis ſuffraganeis continebat. Quibus ipſe per omnia & in omnibus ita benevolus & obediens exiſtebat, quod ſi forte aliquis contra quemlibet amicorum & presbiterorum cauſam litigii inchoabat, vel ſi quicquam de rebus Eccleſiaſticis uſurpabat, ipſe cunctis manu ſilencium indicebat, & ſicut advocatus & patronus pontificum cauſam eccleſie defendebat, gentes vero barbarorum in circuitu quas vincebat, non ad tributum pecunie perſolvendum, ſed ad vere religionis incrementum coercebat. Inſuper eciam ibi eccleſias de proprio conſtruebat, & Epiſcopos honorifice clericosque canonice cum rebus neceſſariis apud eosdem ordinabat. Talibus ergo virtutibus, juſticia & equitate, timore videlicet & dileccione, Rex Boleslaus procedebat, talique diſcrecione regnum remque publicam procurabat, virtutibus ſiquidem multis ac probitatibus Boleslaus longe lateque emicuit, tribus tamen virtutibus juſticia, equitate, pietate ad tantum culmen ſpecialiter magnitudinis aſcendit, juſticia, quia ſine reſpectu perſone cauſam in judicio diſcernebat; equitate, quia principes & populum cum diſcretione diligebat; pietate qua Chriſtum ejusque ſponſam modis omnibus honorabat, & quia juſticiam exercebat & omnia equanimiter diligebat, & matrem Eccleſiam virosque eccleſiaſticos exaltabat, ſancte matris Eccleſie precibus ejusque prelatorum interceſſionibus cornu ejus Dominus in gloria exaltabat, & in cunctis ſemper bene ſemperque proſpere procedebat, & cum ſic eſſet Boleslaus religioſus in divinis, multum tamen apparebat glorioſus in humanis.

Quomodo Boleslaus per ſuas terras ſine leſione pauperum tranſibat.

Ejus namque tempore non ſolum Comites verum eciam nobiles torques aureas immenſi ponderis bajulabant, tanta ſuperfluitate pecunie redundabant. Mulieres vero curiales coronis aureis, monilibus, brachialibus, aurifriſiis & gemmis ita onuſte procedebant, que ni ſuſtentarentur ab aliis, pondus metalli ſuſtinere non valebant. Talem eciam graciam Deus ei contulerat, & ita viſu deſiderabilis cunctis erat, quod ſi forte quemlibet a conſpectu ſuo pro culpa veniali & momentanea removebat, quamvis ille rerum ſuique libertate frueretur, donec benevolencie ejus & conſpectui redderetur, non ſe vivere ſed mori, nec ſe

liberum ſed truſum carceri reputabat, ſuosque ruſticos non ut dominus in angariam coërcebat, ſed ut pius pater quiete eos vivere permittebat, ubi enim ſuas ſtaciones ſuumque ſervicium determinatum habebat, nec libenter in tentoriis ſicut in domo vel in campis, ſed in civitatibus vel in caſtris frequencius habitabat, & quocies de civitate in aliam transferebat ſtacionem, aliis in confinio dimiſſis, alios vaſtandiones & villicos commutavit, nec quisquam eo transeunte viator vel operator boves & oves abſcondebat, ſed ei pretereunti pauper & dives arridebat, eumque cernere tota patria properabat.

Duces vero ſuosque Comites ac principes, acſi fratres vel filios diligebat, eosque ſalva reverencia ſicut ſapiens dominus honorabat. Conquerentibus enim ſuper illos inconſulte non credebat, contra lege condemnatos judicium cum miſericordia temperabat. Sepe namque uxor ejus regina, prudens mulier & diſcreta, multos pro culpa morti deditos de manibus lictorum eripuit, & ab imminenti mortis periculo liberavit, eosque in carcere quandoque rege neſciente, quandoque vero diſſimulante, ſub cuſtodia vite miſericorditer reſervabat. Habebat autem Rex amicos XII conſiliarios cum quibus & eorum uxoribus, omnibus curis & conſiliis expeditis convivari multocies & cenare delectabatur, & cum eis familiarius regni & conſilii miſteria pertractabat, quibus epulantibus pariter & exultantibus & inter alias locuciones in memoriam forte ex occaſione generis illorum damnatorum incidentibus, Rex Boleslaus illorum morti bonitate parentum condolebat, ſeque precepiſſe eos perimi penitebat. Tunc Regina venerabilis pium pectus Regis manu demulcens ſciſcitabatur ab eo, ſi carum ei fieret, ſi quis eos ſanctus a morte forſitan ſuſcitaret. Cui rex reſpondit, ſe nihil precioſum poſſidere, quod non daret ſi quis eos poſſet ad vitam de funere revocare, eorumque progeniem ab infamie macula liberare. Hec audiens ſapiens & fidelis pii furti ſe ream & conſciam accuſabat, & cum amicis XII & eorum uxoribus ad pedes Regis pro ſui damnatorumque venia ſe proſternebat, quam Rex benigne complexans cum oſculo de terra manibus ſublevabat, ejusque fidele furtum imo pietatis opera commendabat. Eadem igitur hora pro captivis illis per mulieris prudenciam vite reſervatis cum equis plurimis mittebatur, & euntibus redeundi terminus ponebatur. Tunc vero leticia multiplex illis reſidentibus accreſcebat, cum Regina Regis honorem ac regni utilitatem ſic ſapienter obſervabat, & Rex cum amicorum conſilio eam de ſuis peticionibus audiebat. Illi autem pro quibus miſſio facta fuerat, non ſtatim Regi ſed Regine preſentabantur, qui ab ea verbis aſperis & lenibus caſtigati ad Regis balneum ducebantur, quos Rex Boleslaus ſicut pater filios ſecum balneantes corrigebat, eorumque progeniem memorando collaudabat, vos, inquit, tanta vos talique proſapia exortos talia committere non decebat, etate vero provectiores verbis tantum tam per ſe quam per alios caſtigabat, minoribus vero verbera cum verbis adhibebat, ſicque paterne commonitos ac indumentis regalibus adornatos datis muneribus collatisque honoribus ire domum cum gaudio permittebat. Talem igitur Rex Boleslaus ſeſe erga popu-

lum & principes exhibebat; ſic ſapienter ſe & timeri & amari a cunctis ſibi ſubjectis faciebat.

De magnitudine menſe & largitate Boleslai.

Menſam vero ſuam ſic ordinate, ſic honorifice retinebat, quod omni die XL menſas principales exceptis minoribus erigi faciebat, & nihil tamen de alienis ſed de propriis in his omnibus expendebat. Habebat eciam aucupes & venatores omnium fere nacionum, qui ſuis artibus capiebant omne genus volatilium & ferarum, de quibus ſingulis tam quadrupedibus quam pennatis ſingula apponebantur fercula ſuis menſis.

De diſpoſicione caſtrorum & civitatum ſui regni per Boleslaum.

Solebat quoque magnus Boleslaus in finibus regni ab hoſtibus obſervandis multocies occupatus, ſuis villicis ac vicedinis quid de indumentis in feſtis annalibus preparatis, quidve de cibis & potibus in ſingulis civitatibus fieret &c. commemorare, ſic inquiens: ſatius eſt & honeſtius hic eciam galline pullum ab inimicis conſervare, quam in illis vel illis civitatibus deſidioſe convivanti inſultantibus mihi meis hoſtibus locum dare &c. & vocans de ſuis familiaribus quos volebat, ſingulos ſingulis caſtellis preficiebat atque civitatibus, qui loco ſui in caſtellis & civitatibus convivia prepararent, ac indumenta aliaque dona regalia que Rex ſuis fidelibus dare conſveverat preſentarent. Talibus dictis & factis admirabantur univerſi prudenciam & ingenium talis viri, conſencientes ad invicem, hic eſt vere pater patrie, hic defenſor, non aliene pecunie disſipator, ſed honeſtus reipublice diſpenſator, qui damnum ruſtiei violenter ab hoſtibus illatum caſtello reputat vel civitati prodite conferendum. Quam multis immoraremur ſi ſingula facta vel dicta magni Boleslai carptim voluerimus ſcripturare, quaſi ſi ſtilo laboremus guttatim pelagus exſiccare, ſed quid nocet ocioſis lectoribus hoc audire, quod vix cum labore hyſtoriographus poteſt invenire?

Cum igitur Boleslaus Rex tot & tantis diviciis atque militibus, ut dictum eſt, plus quam alius Rex abundaret, querebatur tamen ſemper quod ſolis militibus indigeret, & quicunque probus hoſpes apud eum in milicia probabatur, non miles ille ſed Regis filius vocabatur, & ſi quandoque ut aſſolet eorum aliquem infelicem in equis vel in aliis audiebat, infinita dando ei circumſtantibus alludebat: ſi poſſem ſic hunc probum militem a morte diviciis liberare, ſicut poſſum ejus infortunium & paupertatem mea copia ſuperare, ipſam mortem avidam diviciis onerarem, ut hunc talem tam audacem in milicia conſervarem. Quo circa talem ac tantum virum debent ſucceſſores virtutibus imitari, ut valeant ad tantam gloriam & potenciam ſublimari, qui cupit poſt vitam tantam acquirere famam, acquirat dum vivit ipſe in virtutibus tantam palmam, ſi quis captat Boleslao memoriali titulo comparari, elaboret ſuam vitam ejus vite venerabili conformari. Tunc autem virtus in geſtis eſt collaudanda, cum fuit vita multis honeſtis moribus adornata.

Hec

Hec erat magna Boleslai gloria memoranda, talis virtus recitatur poſterorum memorie imitanda. Non enim in vacuum Deus illi graciam ſuper graciam cumulavit, nec ſic eum ſine cauſa tot Regibus ac Ducibus antefecit. Sed quia Deum in omnibus & ſuper omnia diligebat, & quia ergo ſuos ſicut pater erga filios caritatis viſceribus affluebat. Unde cuncti & ſpecialiter quos venerabatur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Monachi, Presbiteri ſedulo eum Domino ſuis precibus commendabant. Duces vero Comites aliique proceres hunc ſemper victorem, hunc ſibi fore ſuperſtitem exoptabant. Glorioſus itaque Boleslaus felicem vitam laudabili fine concludens, cum ſciret ſe debitum carnis univerſe completurum, cum omnibus ſuis ad ſe principibus & amicis undique congregatis de regni gubernacione & ſtatu ſecretius ordinavit, eisque poſt ſe multa mala futura, voce prophetica pronunciavit. O utinam mei, inquit, quos delicate tanquam mater filios innutrivi, que poſitus in agone naſcitura video vobis in proſpera convertantur! &c. Heu heu jam quaſi per ſpeculum in enigmate video Regem exulantem & oberrantem & hoſtibus quos ſub pedibus conculcavi miſericorditer ſupplicantem! Video eciam de longinquo de lumbis meis procedere quaſi carbunculum emicantem, qui gladii mei capulo connexus, ſuo ſplendore Poloniam totam efficiet relucentem. Tunc vero luctus & meror ibi asſtancium & hoc audiencium cordis viſcera penetravit, & pre dolore nimio mentes omnium ſtupor vehemens occupavit. Cumque pauliſper dolore compreſſo Boleslaum inquirerent, quanto tempore funus ipſius habitu cultuque lugubri celebrarent, voce veridica reſpondit, nec menſibus nec annis vobis terminum doloris pono, ſed quicunque me cognovit, meamque graciam acquiſivit, memor mei die nocteque me plorabit, & non ſolum qui me noverunt, meamque benevolenciam habuerunt me plorabunt, ſed eciam eorum filii filiique filiorum Boleslai regis obitum narrantibus aliis condolebunt. Boleslao igitur Rege de mundana converſacione deſcendente, etas aurea in plumbeam eſt converſa, Polonia prius Regina auro radiente cum gemmis coronata, ſedens in pulvere viduitatis veſtibus involuta, in luctum cythara, plauſus in merorem, gaudium in ſuſpiria, convertuntur. Illo nimirum anno nullus in Polonia convivium publice celebravit, nullus nobilis vir vel femina ſe veſtibus ſolemnibus adornavit, nullus plauſus, nullus cythare ſonus audiebatur in tabernis, nulla cantilena puellaris, nulla vox leticie audiebatur in plateis, hoc per annum eſt a cunctis obſervatum, ſed viris & feminis nobilibus plorare Boleslaum, eſt cum vite termino terminatum. Rege itaque Boleslao inter homines exeunte, pax & leticia rerumque copia videnter ſimul de Polonia commeaſſe. Hactenus Boleslai magni laudibus terminum & metam imponamus, ejusque funus aliquantulum carmine lugubri lugeamus.

Omnis etas, omnis ſexus, omnis ordo currite, Boleslai Regis funus condolentes cernite, atque mortem tanti viri ſimul mecum plangite. Eheu! eheu! Boleslae ubi tua gloria, ubi virtus, ubi decor, ubi rerum copia. Satis reſtat ad plorandum, ve mihi Polonia. Suſtentate me cadentem pre dolore comites. Viduate mihi queſo condolete milites,

deſo-

deſolata nunc quam ſim heu videte hoſpites! Quantus dolor, quantus luctus erat pontificibus! Nullus vigor nullus ſenſus nulla mens in ducibus. Eheu, eheu capellanis, eheu ipſis omnibus! vos qui torques portabatis in ſignum milicie, & qui veſtes mutabatis regales cottidie, ſimul omnes reſonate ve ve nobis hodie. Vos matrone que coronas geſtabatis aureas, & que veſtes habebatis aureas argenteas, has exute induatis lugubres & laneas. Eheu eheu Boleslae cur nos pater deſeris? Deus talem virum unquam mori cur permiſeris? Tota terra deſolatur Rege ſuo vidua, ſicut ſuo poſſeſſore facta domus vacua. Tua morte lugens mens eſt nutans & ambigua. Tanti viri funus mecum omnis homo recole, dives, pauper, miles, clerus inſuper agricole, latinorum & ſclavoram quotquot eſtis incole, & tu lector bone mentis qualiscunque legeris, queſo motus pietate, lacrimas effuderis, multum eris inhumanus ſi non mecum fleveris.

Anno Domini MXXV. poſt mortem Boleslai, Mieſzko filius ejus in regnum ſucceſſit, qui jam vivente patre ſororem Ottonis tercii Imperatoris uxorem acceperat, de qua Cazimirum id eſt Carolum reſtauratorem Polonie procrearat. Hic vero Mieſzko miles probus fuit, multaque geſta militaria que longum eſt dicere, perpetravit. Hic eciam per patris invidiam vicinis omnibus extitit odioſus, nec ſicut pater ejus vita vel moribus vel diviciis copioſus. Eciam a Bohemis in colloquio per tradicionem captus, & genitalia ne gignere poſſet corigiis aſtrictus, quia Rex Boleslaus pater ejus ſimilem eis injuriam fecit, unde eorum Ducem ſuumque avunculum excecaverant, qui de captione quidem exivit, ſed uxorem ulterius non cognovit. De Mieſzkone ſileamus & ad Cazimirum reſtauratorem Polonie deſcendamus. Mieſzko enim ut alibi legitur, in amenciam cecidit, & mortuus eſt eodem anno, quo & pater.

Mortuo igitur Mieſzkone, qui poſt obitum patris Boleslai parum vixit, Cazimirus cum matre imperiali, puer parvulus remanſit, que cum puerum educaret, & pro modo femineo regnum honorifice gubernaret, traditores eam de regno per invidiam ejecerunt, puerumque ſuum ſecum in regno quaſi deceptionis obumbraculum tenuerunt, qui cum adultus eſſet etate, & regnare cepiſſet, malicioſi veriti ne nimis injuriam vindicaret, in eum inſurrexerunt, eumque in Ungariam ſecedere coegerunt. Eo namque tempore ſanctus Stephanus Ungariam gubernabat, eamque provinciam ad fidem minis & blandiciis convertebat, qui cum Bohemis Polonorum infeſtiſſimis inimicis pacem & amiciciam retinebat, nec eum liberum quoadusque vixit dimittebat. Quo de hac vita migrante, Petrus Veneticus Ungarie regnum recepit, qui eccleſiam ſancti Petri de Bazcario inchoavit, quam nullus ad modum inchoacionis usque hodie conſummavit. Hic Petrus eciam rogatus a Bohemis ne Cazimirum dimitteret, ſi cum eis amiciciam ab anteceſſoribus receptam retinere vellet, voce regali reſpondiſſe fertur: ſi lex antiqua definierit, quod Ungarorum Rex Bohemorum Ducis carcerarius fuerit, faciam que rogatis, & ſic Bohemorum legacioni cum indi-

indignacione reſpondens eorumque amiciciam vel inimiciciam parvi pendens, datis Cazimiro centum equis totidemque militibus, qui eum ſecuti fuerant, armis & veſtibus preparatis eum honorifice dimiſit, nec iter ei quocunque vellet ire denegavit. Cazimirus igitur gratanter iter arripiens, ac in terram Teutonicorum feſtinanter perveniens, apud matrem & Imperatorem, quanto tempore neſcio, fuit converſatus, ſed in actu militari miles audaciſſimus fuerat comprobatus. Sed pauliſper eum cum matre quieſcere permittamus, & ad deſolacionem & devaſtacionem Polonie redeamus.

Hec in iſta Cronica ita ſe habent atque leguntur. Sed ſciendum eſt, quod iſte Cazimirus commotus ſpiritu, ſive enim ex inductione Ottonis Imperatoris tercii avunculi ſui, ſive eciam ex materna induccione penitus ignoratur ordinem Sancti Benedicti Cluniaci monaſterium introivit, ibique in ſancta converſacione degens VII annos implevit, & ad finem perduxit. Poſtea autem ad regnum de monaſterio revocatus eſt, ſicut in libro de paſſione ſancti Stanislai legitur, ſub hujuscemodi continencia & tenore. Cum beatus Stanislaus & Rex Cazimirus contemporanei fuerunt & coëvi, neceſſe eſt ut de Cazimiro hiſtoriam proſequamur. Igitur Cazimiro dicto Carolo in monaſterio cluniacenſi degente, & in habitu beati Benedicti jam ſeptimum annum agente, ſolemnes nuncii nobilium Polonie obtulerunt ei & Abbati ſuo munera, vaſa aurea & argentea, ſubinferentes quot clades & quanta mala ſuſtineat Polonia propter ejus abſenciam, petunt dominum Abbatem, ſupplicant Cazimiro, ut in Poloniam redeat, regnum & populum ſuum ab incurſibus defendat. Abbas adhibito conſilio reſpondit, ſe non poſſe ſatisfacere peticioni ipſorum & deſiderio, quia qui renunciavit ſeculo, non poteſt redire ad ſeculum, niſi provida ſummi Pontificis ad hoc accederet diſpenſacio. Tunc legati reſponſo accepto Romam adeunt, ſummo Pontifici Benedicto IX legacionem proferunt, diſpenſacionem petunt, allegant cladem Polonie, prophanacionem fidei Chriſtiane, incendia eccleſiarum, ſubverſionem urbium, violacionem viduarum, effuſionem ſangvinis innocentium, & multitudinem Chriſtianorum ductam in captivitatem & redactam in ſervitutem paganorum. His Papa Benedictus & fidei Chriſtiane nec non gentis orbate principe caſibus compaſſus, ad tenenda regni gubernacula Cazimirum in Poloniam redire decrevit. Ne autem regnum Polonie ſucceſſore careret, cum eodem Cazimiro miſericorditer diſpenſavit, ut matrimonium contraheret, ob cujus diſpenſacionis effectum ac recordacionis memoriale ſignum indictum eſt Polonis, ut in tonſura rotunda conformarent ſe ſenioribus monachorum. Statutum eſt nihilominus, ut pro alendo lumine eccleſie beati Petri Rome cenſum ſolverent, qui vocatur Szwantho petrze, i. e. ſolidus beati Petri. Exſecuti negocium, aſſecuti propoſitum legati Polonorum, leti & alacres redeunt Cluniacum, & exinde excipientes Regem ſuum Cazimirum venerunt in Allemanniam ad Imperatorem Ottonem avunculum ſuum, ubi cum excreviſſet magne improbitatis audacia ſexcentorum virorum armatam miliciam ad eum deducendum, & in regnum intronizandum transmiſit Imperator in Poloniam.

De rehabicione Regni per Cazimirum, qui fuit monachus.

Interea Reges & Duces in circuitu Poloniam quisque de parte ſua conculcabat, ſuoque dominio civitates caſtellaque contigua vel applicabat vel vincendo terre coëquabat. Et cum tantam injuriam & calamitatem ab externis Polonia pateretur, abſurdius tamen adhuc & abominabilius a propriis habitatoribus vexabatur. Nam in dominos ſervi, contra nobiles liberati ſe ipſos in dominos extulerunt, aliis in ſervicio verſa vice detentis, aliis peremptis, uxores eorum inceſtuoſe honoresque ſceleratiſſime rapuerunt. Inſuper eciam a fide catholica deviantes, quod ſine voce lacrimabili dicere non valemus, adverſus Epiſcopos & ſacerdotes Dei ſedicionem inceperunt, eorumque quosdam gladio quaſi dignos peremerunt, quosdam non quaſi morte dignos lapidibus obruerunt. Ad extremum autem tam ab extraneis quam ab indigenis ad tantam Polonia deſolacionem eſt redacta, quod ex toto pene diviciis & hominibus eſt exacta. Eo tempore Gneznam & Poznaniam Bohemi deſtruxerunt, ſanctique corpus Adalberti abſtulerunt. Illi vero qui de manibus hoſtium evadebant, vel qui ſuorum ſedicionem devitabant, ultra flumen Wyſla in Mazoviam fugiebant, & tamdiu civitates ille in ſolitudine permanebant, quod in eccleſia ſancti Adalberti Martiris, ſanctique Petri Apoſtoli, ſua cubilia fere poſuerunt, que plaga creditur toti terre communiter eveniſſe, quia Gaudencius ſancti Adalberti frater & ſucceſſor occaſione neſcio qua dicitur eam anathemate percuſſiſſe. Hec autem dixiſſe de Polonie deſtruccione ſufficiat, & eis qui dominis naturalibus fidem non ſervaverunt ad correctionem proficiat. Rex Cazimirus igitur aſſumptis ſecum militibus ſexcentis, Polonie fines introivit, ulteriusque progrediens caſtrum quoddam ſibi a ſuis redditum acquiſivit, de quo paulatim tam virtute quam ingenio totam Poloniam a Pomeranis & Bohemis aliisque finitimis nacionibus occupatam liberavit, eamque ſuo dominio mancipavit, poſtea vero de Ruſſia nobilem cum magnis diviciis uxorem accepit, de qua filios quatuor unamque filiam Regi Bohemie deſponſandam generavit. Nomina autem filiorum que ſunt, Boleslaus, Wladislaus, Mieſzko, & Otto. Sed de Cazimiro quid egerit primitus pertractanda finiamus, & poſtea de filiis quis eorum primitus quis vero poſterius regnavit, ordinabilius edicamus.

Igitur eliberata patria & expugnata, profugatisque gentibus ex terris non minor Cazimiro reſtabat hoſtilis profugacio ſue gentis ſuorumque jure proprio ſubditorum. Erat namque quidam Meczzlaus nomine, pincerna patris ſui Mieſzkonis & miniſter, poſt mortem ipſius Mazovie gentis ſua perſvaſione princeps exiſtebat & ſignifer. Erat enim eo tempore Mazovia Polonis illuc fugientibus in tantum populoſa, quod agricolis rura, animalibus paſcua, habitatoribus loca erant ſpacioſa. Unde Meczzlaus in audacia ſue milicie confiſus imo ambicioſa cupiditate excecatus, niſus eſt obtinere per preſumpcionis audaciam quod ſibi non competebat per jus aliquod vel juſticiam. Inde eciam in tantum ſuperbie faſtum conſcenderat, quod obedire Cazimiro re-

nuebat, & inſuper eciam armis & inſidiis reſiſtebat. At Cazimirus indignans ſervum patris & ſuum Mazoviam violenter obtinere, ſibi grave damnum exiſtimans, ni ſe vindicet, imminere, collecta quidem pauca numero manu armatorum, ſed aſſveta bellis, armis congreſſus Meczzlao perempto victoriam & pacem, totamque provinciam triumphaliter eſt adeptus. Ibi namque tanta cedes Mazovitarum facta fuiſſe memoratur, ſicut adhuc locus certaminis & precipicium ripe fluminis proteſtatur. Ipſe eciam Cazimirus enſe cedendo ibi extitit fatigatus, brachia totumque pectus & faciem effuſo ſangvine cruentatus, & interim fugientes hoſtes ſolus eſt perſecutus, qui mori debuit a ſuis omnibus non adjutus. Siquidem non de nobilium genere, ſed de gregariis militibus nobiliter opem tulit morituro, quod bene Cazimirus ſibi reſtituit in futuro. Nam & civitatem ei contulit, & cum dignitate inter nobiliores extulit. In illo enim certamine XXX acies ordinatas Mazovienſes habuerunt. Cazimirus vero vix tres acies bellatorum plenas habebat, quoniam ut dictum eſt, tota pene Polonia deſerta jacebat. Mortuus eſt Cazimirus anno Domini MLVIII. cui ſucceſſit Boleslaus filius ejus in regnum, filius inquam primogenitus, vir largus & bellicoſus, qui ſuis geſtis geſta predeceſſorum coëquavit, quem quedam vel ambicionis vel vanitatis ſuperfluitas agitavit, nam cum in principio ſui regiminis & Polonis & Pomeranis imperaret, eorumque multitudinem ad caſtrum Grodek obſidendum innumerabilem congregaret, ſue contumacie negligencia, non ſolum caſtrum non habuit, verum eciam Bohemorum inſidias vix evaſit, ac Pomeranorum dominium ſic amiſit. Sed non eſt mirum aliquantulum per ignoranciam aberraſſe, ſi contigerit poſtea per ſapienciam que neglecta fuerint emendaſſe.

De convencione Boleslai cum Duce Ruthenorum.

Non eſt dignum probitatem multimodam & liberalitatem Boleslai Regis ſilencio preterire, ſed pauca de multis in exemplum regni Gubernatoribus aperire. Igitur Boleslaus ſecundus Rex, audax fuit miles & ſtrenuus, hoſpitum ſuſceptor benignus, datorque largiſſimus. Ipſe quoque ſicut primus Boleslaus magnus Ruthenorum regni caput urbem Kyyow precipuam hoſtiliter intravit, ictumque ſui enſis in porta aurea memorie ſignum dereliquit. Ibi eciam quedam ſui generis Ruthenum cui pertinebat regnum in ſede regali conſtituit, cunctosque ſibi rebelles a poteſtate deſtituit. O pompa glorie temporalis! O audacia fiducie militaris! O majeſtas regie pietatis! Rogatus itaque Boleslaus largus a Rege quem fecerat, ut obviam ad ſe veniret, ſibique pacis oſculum ob reverenciam ſue gentis exhiberet, Polonus quidem hoc annuit ſed Ruthenus dedit que voluit. Computatis namque largi Boleslai paſſibus equi de ſtacione ad locum conventus totidem auri marcas Ruthenus poſuit, nec tamen de equo deſcendens ſed barbam ejus ſubridendo divellens, oſulum ei ſatis precioſum exhibuit.

De deluſione Bohemorum contra Boleslaum largum.

Contigit eodem tempore Bohemorum Ducem cum tota ſuorum

virtute militum Poloniam introviſſe, eumque transactis ſilvarum condenſis, in quadam planicie ſatis apta certamini conſediſſe. Quo audito largus Boleslaus impiger obviam hoſtibus properavit, eosque properans transgirando viam qua venerant obſidens intercluſit, & quia plurima pars diei preterierat, ſuosque properando fatigaverat, ſequenti die ſe venturum ad prelium per legatos Bohemis intimavit, eosque ibidem reſidere nec ſe diucius fatigare, magnis precibus exoravit. Sed contra Bohemi verſuta calliditate Boleslao remandarunt indignum eſſe tantum Regem ad inferiorem declinare, ſed die craſtina ſi filius eſſet Cazimiri, ſit paratus ibidem Bohemorum ſervicium expectare. Boleslaus vero ut ſe filium oſtenderet Cazimiri, ibi ſtando Bohemorum fallacie ſatisfecit, ſed die jam poſtera mediante, Polonorum caſtra ab exploratoribus nunciantur, quod a Bohemis nocte precedenti fuga non prelium ineatur. In eadem hora Boleslaus deluſum ſe dolens acriter eos per Moraviam fugientes ſequitur, captisque pluribus ac peremptis, quia ſic evaſerant, ſibimet ipſi dedignando revertitur. Annectendum eſt eciam, que cauſa fuerit quod de Polonia loricarum uſum aboleverit, quas antiquitus magni Boleslai Regis exercitus ingenti ſtudio frequentavit.

De victoria Boleslai contra Pomoranos.

Contigit namque Pomoranes ex ſubito Poloniam invaſiſſe, Regeque Boleslao ab illis remoto partibus hoc accidiſſe, qui cupiens animo ferventi de manibus gentilium patriam liberare, collecto nondum exercitu debuit antecedens inconſulte nimium properare. Cumque ventum eſſet ad fluvium ultra quem turme gentilium reſidebant, non ponte requiſito vel vado loricati milites & armati profundo gurgiti ſe credebant, pluribus itaque loricatorum ibi preſumptuoſe ſubmerſis, loricas reliqui ſuperſtites abjecerunt, transmeatoque flumine quamvis damnoſe victoriam habuerunt. Ex eo tempore loricatis Polonia deſvevit, & expedicior hoſtem quisque invaſit, tuciorque flumen objectum ſine pondere ferri transmeavit.

De liberalitate & largitate Boleslai & de quodam paupere clerico.

Item unum memoriale factum Boleslai & liberalitatis eximie non celabo, ſed ad imitacionis exemplum ſucceſſoribus intimabo. In civitate Cracovienſi quadam die largus Boleslaus ante palacium in curia reſidebat, ibique tributa Ruthenorum aliorumque vectigalium in tapetis ſtrata proſpectabat. Contigit ibidem clericum quendam pauperem & extraneum affuiſſe tantique theſauri magnitudinem proſpexiſſe, qui cum ammiracione tante pecunie ibidem oculos defigeret ſuamque miſeriam cogitaret, cum ingenti gemitu ſuſpiravit. Boleslaus autem Rex, ut erat ferus, audiens hominem miſerabiliter gemuiſſe & exiſtimans aliquem camerariorum percuſſiſſe, iratus ſciſcitatur qui fuerit auſus ſic gemere, vel quis preſumpſerit ibi quempiam verberare. Tunc ille miſer clericus tremefactus maluiſſet nunquam pecuniam ſe vidiſſe, quam ea de cauſa Regis curiam introiſſe. Sed cur miſer clericelle latitas? Cur indicare

gemuiſſe te times? gemitus iſte totam triſticiam conculcabit, ſuſpirium illud magnam tibi leticiam generabit. Noli large Rex miſerum clericellum pre timore diucius anhelare, ſed feſtina tuo theſauro ejus humeros onerare. Igitur interrogatus a Rege clericus, quid cogitaſſet, cur ſic lacrimabiliter ſuſpiraſſet, cum tremore reſpondit: Domine Rex meam miſeriam meamque paupertatem, veſtram gloriam veſtramque majeſtatem conſiderans, felicitatem infortunio diſparaliter comparando pre doloris magnitudine ſuſpiravi. Tunc Rex largus ait: Si propter inopiam ſuſpiraſti, Boleslaum Regem paupertatis ſolacium inveniſti. Accede itaque ad pecuniam quam miraris, & ſit tuum quantumcunque uno onere tollere conaris. Et accedens ille pauperculus auro & argento cappam ſuam tantum implevit, quod eximio pondere rupta fuit. Tunc Rex largus de collo ſuo pallium extraxit, illudque clerico pauperi pro ſacco pecunie porrexit, eumque oneravit. In tantum enim clericum auro & argento Rex largus oneravit, quod ſibi collum diſſolvi clericus ſi plus poneret exclamavit. Rex fama vivit, pauper ditatus obivit.

De eodem Boleslao capitulum ſequitur.

306/7 X. De hoc Boleslao in libro de paſſione Sancti Stanislai legitur ita. Anno Domini MLVIII. Rex Cazimirus vita exceſſit, & Boleslaus filius ejus ſucceſſit. 307 XI. Potitus itaque Boleslaus regno armis & viribus factus eſt audax & bellicoſus, in rebus arduis aggrediendis magnanimus, in donacionibus liberalis & prodigus, ſed tamen Tyrannus. Erat enim predo civium, oppreſſor pauperum, conditor legum iniquarum, ſectator carnalium viciorum. Quem beatus Stanislaus tanquam filium prodigum paterna ſollicitudine ad penitenciam provocabat, & quaſi Samuel Saulem deflebat. Ipſe vero limo viciorum infixus & typho ſuperbie inflatus, quaſi freneticus contra ſalutis medicum letiferas inimicicias in ſuo corde confovebat, & licet ab eo immeritus perſecucionem per injuſticiam pateretur, tamen pius pater pro ipſo orare & eum monere ſedulo non verebatur. Quia vero ſcriptum eſt, peccator cum venerit in profundum viciorum contemnet, contra Deum erecto collo & cervice armatus non ſolum in cedem, ſed eciam ſui preſulis, ut homo peccator, coërcicionem cepit contemnere. Videns autem preſul Stanislaus ſuam ammonicionem in eo minime proficere, cepit ſuum familiare contubernium evitare, & a ſuis colloquiis ſeſe ſubtrahere, ne ſibi tacitus videretur conſentire. Abominabatur quippe vir juſtus inter alia execrabile genus rapine. Cum enim ad ſua colloquia conveniebant, prata & annonas hominum depaſcebant, ſepta domorum comburebant, quod ipſe & ſui primores & ipſorum ſequaces dicunt eſſe jus terreſtre commune, in prejudicium univerſalis juſticie. Ob has cauſas & plurimas abuſiones ſe ab eorum conciliis & tractatibus abſtrahebat, ſed in eccleſia ſua reſidebat, officium divinum cum ſuis clericis alacriter explebat, & divina miſteria ſepius celebrando frequentabat.

344 XIV. Rex autem Boleslaus ut perverſus & reprobus, de quo ſcriptum

eſt: conſidera opera Dei, quod nemo poteſt eum corrigere quem deus deſpexit; nec timore tactus nec paterna ammonicione correctus, in ſuis ſceleribus perſiſtebat obfirmatus. Confirmatus autem in regno tria propoſuit in animo ſuo: ut injuriam parentum in nobilibus Polonie qui eos de regno exulare fecerant, vindicaret; ut terminos regni quos amiſerant parentes ſui recuperaret; & omnes regiones que patribus ſuis vectigales fuerant, ſuo imperio ſubjugaret. Vallatus itaque ſuo forti & magno exercitu, per circuitum regiones peragravit, contra rebelles multa prelia commiſit & regiones & caſtella & municiones eorum igne combuſſit. Item unus annus volvebatur quo rarus in patria, continuus in caſtris, ſemper vero apud hoſtes morabatur. Commixtus autem inter gentes didicit opera eorum & ſervivit in mundiciis eorum. Traditus quoque in reprobum ſenſum paſſionibus ignominie & contumelie affectus, ſicut eqvus & mulus, quibus non eſt intellectus, gloriam ſuam in ignominiam & naturalem uſum qui eſt contra naturam vertit. Dum igitur avidus victorie propriis ſucceſſibus mulceretur & perdiutiſſime extra regnum moraretur, mora ejus licet reipublice multum attulerit commodi & utilitatis, ſed multo magis ingeſſit diſcriminis ac fede diſſolucionis. Nobilibus enim Polonie cum bellorum exercitacionibus occupatis, interim uxores eorum & ſervi ad vota ſua inflectuntur, quedam longa maritorum expectatione feſſe, alie deſperacione decepte, vi nonnulle ad ſerviles amplexus protracte. Qui itaque contumaces in dominos ſuos lares ipſorum & cubicula occupant, municipia ſervant, caſtella exſtruunt, reverſuris bella indicunt. At illi conperta fama tante prodicionis, in ſecleris perpetratores zelo injurie vindicande animis concitati, contra Regis imperium ad propria reverſi ſunt illicenciati. Tandem ſervorum municiunculis expugnatis pro ſingulari temeritate ſingularibus eos perdiderunt ſuppliciis, ſed & feminas que ultro ſervis conſenſerant & legitimi thori prevavicatrices extiterant, penis atrociſſimis peremerunt.

De ſuperbia Boleslai ſequitur capitulum.

347. XV. Boleslaus vero poſt cedem adverſariorum elevatus, in ſuperbiam belue rugientis induens ſeviciam efferatis animis rediit in Poloniam & in ſuos nobiles quam dudum mente conceperat, retorſit maliciam, fingit illos injurias ſuas non ulciſci ſed regiam majeſtatem in plebe perſequi. Gloria, inquit, principis eſt in multitudine populi & plebe deleta, &c. Ait eciam viros ſibi non placere, nec ſimul ſibi & eorum voluntati deſervire, quibus plus placeret cauſa feminea quam principis obſequela. Conqueritur nihilominus non ſolum apud hoſtes ſe deſertum, ſed prodicione ſe ultro hoſtibus expoſitum. Proinde convocato tocius regni ſui concilio, precipuos & majores capitali ſentencia condemnavit, & quos aperte perimere vel capere inſidiis aggreditur, mulieres quoque, quibus mariti pepercerant, ducti humana manſvetudine, tanta inſectatus eſt inhumanitate, ut ad eorum ubera catulos applicare non horreret, infantulis abjectis, & multis fame & gladio peremptis, quibus hoſtis peperciſſet. O quis calamo deſcribere, quis verbo poſſit exprimere,

primere, quanta tunc ſangvinis fuerit effuſio, quantus dolor & planctus in Polonico exterminio, quot tum mulieres ingenue, quot nobiles matrone, quot denique mulieres maritate pudice, ſervili proſtitute ſunt inceſtui & habite oſtentui, quot autem ſervorum in dominos conſpirata eſt malicia, quot capita ſuppliciis expoſita! Hoc de vena crudeliſſimi Boleslai proceſſit, hoc de fonte amaritudinis ipſius emanavit. Ecce vir iſte quantis debuit laudibus extolli qui per excellenciam ſue largitatis anthonomaſice dictus eſt largus, ob inſignem audaciam virtutis appellatus eſt bellicoſus. Quante enim liberalitatis quanteque probitatis extiterit per ſingula non eſt neceſſe declarare. Si quis autem ejus facta curioſius voluit perſcrutari, de multis ejus vanitatibus in Cronicis Polonorum poterit edoceri. Licet autem bonum virtutis fundamentum jeciſſe videatur, ſed tamen terra ſabuloſa dehiſcente, omne quod videbatur eſſe de genere bonorum, corruit in abyſſum, & quia ambicioſos oportet eſſe liberales, cum expectant humanos favores, quod in eo fuit liberalitatis vento ambicionis ſufflatur, quod vero ſtrenuitatis extitit, profundo viciorum involvitur.

De occiſione Sancti Stanislai capitulum.

351. XVI. Videns autem beatus Stanislaus, quod virum ſevum Boleslaum a ſuo nephario opere & a ſua truculencia modo paterno minime poſſet revocare, ſed quaſi lupum rapacem & beluam ſevientem in oves domeſticas debachari, & gladium tyrannidis ejus in populo Chriſtiano graſſari, & ſangvine innocentum ebriari, jura quoque thori maritalis violari, juſticiam opprimi, homines non vereri, Deum non timeri, aſcendens ex adverſo ſe murum pro domo domini oppoſuit, & bonus paſtor animam ſuam pro ſuis ovibus ponere non dubitavit. Premiſſa igitur frequenti ammonicione quidem comminatur illi regni excidium, deinde anathematis intentat gladium, eccleſie denegans introitum. At ille paterne correccionis impaciens quaſi lignum aridum & tortuoſum, quod facilius frangi poteſt quam dirigi, majori veſania induitur, & ut alter Pharao juſto Dei judicio majori cordis duricia excecatur. Sancto igitur preſule Stanislao in eccleſia Sancti Michaelis de rupella divina miſteria celebrante, & pro ſibi commiſſis atque pro imminenti diſcrimine ſanctorum patrocinia inplorante atque contra impium ſentenciam anathematis promulgante, Boleslaus quaſi draco ſeviſſimus ſubito advolat, ut Chriſti preſulem quaſi agnum manſvetum ad victimam pertrahat. Stans igitur ante fores Eccleſie ſtomachanti voce ad ſuos ſatellites clamat, ut Epiſcopum extra limen Eccleſie pertrahant. Satellites autem iniqui quociens irruere tentant tociens cadunt, tociens ruunt, tercio proſtrati & auriſia percuſſi manſveſcunt, quos ille repletus furore objurgat indignantiſſime. O, inquit, ignavi & degeneres, non poteſtis virum ſacerdotem trahere! deinde irruens ipſe ad aram ut Doech ydumeus inter infulas, non ordinis, non loci, non ſanctorum, non divinam reveritus majeſtatem in Chriſtum Dominum manus injecit violentas, & ab ara trahens antiſtitem, primus in caput pontificis vibrat ſuum enſem. Ipſe ſponſum a gremio ſponſe, paſtorem ab ovili, ipſe

patrem inter filie amplexus, & filium in maternis pene obtruncat viſceribus. O luctuoſum funeris ſpectaculum! Sanctum prophanus, pontificem ſacrilegus, pium ſceleratus crudeli gladio proſternit & enſe ſiciente ſangvinem dignam Deo victimam efficit. Sic juſtus cadit coram impio, ſic bonus paſtor moritur pro grege ſuo, ſic granum frumenti cadens in terram ſurgit in uberem ſpicam, & excuſſa palea tranſit in horreum dominicum fruge multa, ſic miles, ſic Dei atletha agonizat pro juſticia, ſic crudeliſſimus innoxium ſceleſtis manibus interimit, martirem glorioſum & ſingulos artus minutiſſime diſſecans membratim diſcerpit, beſtiis & volucribus in celum & omnem ventum diſpergit ac ſi a ſingulis membrorum partibus pena exigi debuiſſet, & memoria nominis ipſius auferri deſub celo debuiſſet. O arcanum & ſvave Dei judicium! quod ille ſuperbiſſimus Boleslaus humilis pontificis &c. quaſi ſponſum diademate decoravit, non ſine regali purpura beato Martiri Stanislao aulam regis eterni ingreſſuro fabricavit &c.

De morte Boleslai occiſoris capitulum.

Sed quia de electis ſcriptum eſt: ibunt ſancti de virtute in virtutem, mali vero proficient in pejus. Boleslaus cujus nomen compoſitum ex duobus verbis dolorem & gloriam ſignat, verſum in latinum, id preſignans quod ejus gloria foret in ignominiam commutanda, impaciens glorie & invidens ſanctitati beati Stanislai, timore percuſſus ut parricida cruentiſſimus tam patrie quam patribus factus odioſus in Ungariam ſeceſſit, inviſus nobilibus Polonie pro fugace expulſus, tempore vero modico ſecundo videlicet exilii ſui anno, inaudito langvore correptus in amenciam cecidit, & mortem ſibi conſcivit, atque miſerabiliter defunctus eſt, anno Domini MLXXXI.

Hoc autem probabile & veriſſimum eſt, quod dicimus, quia in deſcripcionibus annalium Polonorum & in vita beati Stephani Regis Ungarie ſcriptum invenimus, quod Mieſzko Dux Polonie primus Chriſtianus effectus ad Dominum Papam Leonem ſolemnes nuncios miſit, & ab eo regni Polonie coronam ſibi dari humiliter poſtulavit. Cumque ſummus Pontifex ſue peticioni benignum aſſenſum preberet, & corona miro opere fabricata eſſet, ecce ex Ungaria eodem tempore veniunt Romam nuncii miſſi petentes Dominum ſuum Stephanum Regio diademate inſigniri. Cumque in craſtino legatis Polonie dari corona debuiſſet, ecce eadem nocte Leoni Pape per viſum Angelus Domini apparuit, & Duci Stephano eam dari precepit, quam autem Duci Polonie eam dari non precepit, in cronicis Polonorum inſinuantur hec per Angelum mala. Hec, inquit, gens magis diliget calumniam quam juſticiam, ſilvarum denſitudinem & ferarum venacionem quam camporum planiciem & frugum ubertatem, magis diliget canes quam homines, plus pauperum oppreſſiones quam divinas leges & cetera que ibi leguntur. Verum tamen per eundem Angelum bona ſpes de regni reſtitucione datur a Domino, ex eo quod ibidem legitur, attamen in fine dierum gentis illius miſerebor, & gloria regni illam illuſtrabo. Deus

enim preſcius fatorum viſitans peccata parentum in tertiam & quartem generacionem filiorum, ſolus novit quando debet miſereri genti Polonorum, & reſtaurare ruinas. Ideo forte ad hec tempora regalia inſignia coronam videlicet, ſceptrum & lanceam armario Cracovienſis Eccleſia, que eſt urbs regia, ſervat recondita, usque dum ille veniat, qui vocatus eſt a Deo tanquam David cui hec ſunt depoſita.

De filio Boleslai Mieſzkone tertio.

Habuit autem Boleslaus Rex ſceleratiſſimus unum filium nomine Mieſzkonem. Illum puerum Rex Ungarorum Wladislaus mortuo patre nutriebat, eum loco filii parentis gracia diligebat. Ipſe nimirum puer coëtaneos omnes & Ungaros & Polonos honeſtis moribus & pulchritudine ſuperabat, omnesque mentes in ſe futuri ſpe dominii ſignis evidentibus provocabat; unde placuit patruo ſuo Wladislao Duci in Poloniam ſiniſtro alite revocare, cumque Ruthena puella fatis invidentibus uxorare. Uxoratus igitur adoleſcens imberbis & formoſus ſic moroſe ſic ſapienter ſe habebat, ſic antiquos mores anteceſſorum gerebat, quod affectu mirabili toti patrie complacebat. Sed fortuna rebus ſecundis mortalium inimica, in dolorem gaudium commutavit, & ſpem probitatis & florem etatis amputavit. Ajunt enim quosdam emulos timentes ne patris injuriam vindicaret, veneno puerum bone indolis peremiſſe, quosdam vero qui cum eo biberunt vix mortis periculum evaſiſſe. Mortuo autem puero Mieſzkone tota Polonia ſic lugebat, ſicut mater unici mortem filii, nec illum ſolummodo quibus notus erat lamentabantur, verum eciam illi qui eum nunquam noverant lamentando feretrum mortui ſequebantur. Ruſtici quippe aratra, paſtores pecora deſerebant, artifices ſtudium, operarii labores pre dolore Mieſzkonis poſtponebant, parvi quoque pueri & puelle ſervi inſuper & ancille Mieſzkonis exequias lacrimis & ſuſpiriis celebrabant. Ad extremum miſera mater cum in urna puer plorandus poneretur, una hora quaſi mortua ſine vitali ſpiritu tenebatur, vixque poſt exequias ab Epiſcopis ventilabris & aqua frigida ſuſcitabatur. Nullum enim Regis & principis exicium apud eciam barbaras naciones tam diutino merore legitur conclamatum, nec exequie Tetrarcharum magnificorum tam lugubriter celebrate. Sed meſticiam pueri ſepulti ſileamus, & ad leticiam regnaturi veniamus.

De uxoracione Wladislai patris tercii Boleslai.

Mortuo Rege Boleslao aliisque fratribus defunctis, Wladislaus Dux ſolus regnavit, qui filiam Wratislai Regis Bohemie nomine Juditham uxorem accepit, que filium ei tercium Boleslaum peperit, de quo noſtra intencio titulavit, ut tractatio que ſequitur intimabit. Nunc vero quia ſuccincte per arborem a radice derivando tranſivimus ad inſerendum catalogo ramum pomiferum, & ſtilum & animum applicemus. Erant enim futuri pueri parentes adhuc carentes ſobole, jejuniis & oracione inſtantes, largas pauperibus eleemoſinas facientes, quatenus

omnipotens Deus, qui steriles matres facit in filiis letantes, qui baptistam contulit Zacharie, & vulvam aperuit Sare ut in semine Abrahe benediceret omnes gentes, talem filium daret eis heredem, qui Deum timeret, sanctam Ecclesiam ad honorem Dei & ad salutem populi Regnum Polonie detineret. Hoc incessanter illis agentibus, accessit ad eos Franco poloniensis Episcopus consilium salutare donans eis, sic inquiens: si que dixero vobis devotissime compleveritis, vestrum desiderium procul dubio fiet vobis. Illi vero de tali causa pontificem libentissime audientes, atque magna se facturos spe sobolis promittentes, rem dicere pontificem quantocius exorabant. Ad hec presul: est inquit quidam sanctus in gallie finibus contra austrum juxta Massiliam, ubi Rodanus intrat mare, circa Provinciam & sanctus Egidius nominatur, qui tanti meriti apud Deum existit, quod omnis qui in eo habet devocionem, & memoriam ejus agit, quicquid ab eo pecierit indubitanter obtinebit. Ad modum ergo pueri imaginem auream fabricate, regalia munera preparate, eaque sancto Egidio mittere festinate. Nec mora, pueriis imago cum calice de auro purissimo fabricatur, aurum, argentum, pallia sacre vestes preparantur, que per legatos fideles cum hujusmodi literis deferrentur.

Epistola Wladislai ad sanctum Egidium & ad monachos capituli.

Wladislaus Dei gracia Dux Polonie, & Juditha conjux ejus legitima, venerabili Abbati sancto Egidio cunctisque fratribus humillime devocionis obsequium. Audita fama quod sanctus Egidius prerogative pietatis premineat dignitate, & quod promptus sit adjutor, data sibi divinitus potestate pro spe sobolis munera sibi nostre devocionis offerimus, vestrasque sanctas oraciones in auxilium nostre peticionis humiliter imploramus.

De jejunis & oracionibus pro nativitate tertii Boleslai capitulum.

Perlectis itaque literis & muneribus receptis Abbas & fratres mittenti munera retulerunt, & triduanum jejunium cum letanciis & oracionibus peregerunt, divine majestatis omnipotenciam obsecrantes quatenus devocionem fidelium principaliter implorancium multoque plura vovencium adimpleat, unde gloriam sui nominis apud gentes incognitas exaltaret, & famam Egidii sui famuli longe lateque dilataret. Euge serve Dei, caput hujus materie, perfice servorum, que poscunt vota tuorum, pro puero primum pro falso perfice verum, confice carnalem &c. Quid plura? nec dum jejunium a monachis in Provincia complebatur, & jam mater in Polonia de concepto filio letabatur. Nondum inde legati discedebant, & jam monachi dominam eorum concepisse predicabant. Unde missi domum cicius & alacrius remeantes & presagium monachorum certum esse probantes, de concepto filio fuerunt leti, sed pro voto leciores sunt effecti.

Explicit primus liber, incipit Epistola.

Domino Paulo Dei gracia Poloniensi, reverende discrecionis Episcopo suo quoque cooperatori imitande religionis Michaeli Cancellario, modici dispensator obsonii, paterne veneracionis ac debite servitutis obsequium. Meditanti mihi de plurimis vestris dotibus, offert se vestre recordacio largissime caritatis vestraque fama longe lateque diffusa vobis collate divinitus sapiencie ac humanitus pietatis. Sed quia plerumque capax mentis intencio concipit, que tarda loquendi facultas non exprimit, bone voluntatis intencio sufficiat pro loquela, nam cum facit quis quod petunt non juste fit querela. Verum tamen ne tantorum virorum gloriam tamque religiosorum memoriam prelatorum preterire videamur silencio, eorum laudibus insistendo quasi guttam de fonticulo comportare Tyberinis gurgitibus innitamur. Licet enim quod perfectum est non possit naturaliter augmentari, ratio tamen non prohibet illud scriptis laudumque preconiis venerari nec indecens in picturis aliquando judicatur, si preciosis coloribus pro varietate operis niger color misceatur. In mensa quoque Regum sepe vile quoddam presentatur edulium, quo deliciarum propellatur cottidianarum fastidium. Insuper eciam cum sit formica camelo quantitate corporis animal inequale opus tamen suum exercet studiose viribus coëquale. Quarum exemplo rerum inductus balbucientis more puerilia verba formare conor in laudem virorum per se laudabilium adhibita sine laude vel in preconium Israelitarum veraciter sine fraude, quorum vita laudabilis, doctrina perspicabilis, mores imitabiles, predicatio salutaris, quorum sapiencia bicipiti monte derivata condensa silvarum Polonie sic sagaciter illustrat ne prius fidei semen in terram humani cordis incultam spargant, donec inde spinas & tribulos verbi divini ligonibus radicitus exponant. Similes existunt eciam patri familias scienti de thezauro proferre nova & vetera, vel Samaritana vulnerato plagas alliganti vinumque desuper & oleum infundenti, qui triticum quoque conservis distribuunt ad mensuram & talentum non abscondunt sed dividunt ad usuram. Sed cur mutus fari nititur de facundis, parcat tamen ignorancie, parcat & benevolencie magni patres vestre discrecio sanctitatis, nec perpendat quid vel quantumlibet sui laboris offerat, sed quid cupiat nostre desiderium facultatis. Nam cum potenti pauper amicus quantumlibet sui laboris minimum amministrat, non donum sed dantis affectum perpendens, illud recipere magno pro munere non recusat. Igitur opusculum almi patres stilo nostre pusillaminitatis ad laudem principum & patrie nostre pueriliter exaratum suscipiat & commendet extollens autoritas & benevolencia vestre mentis, quatenus Deus omnipotens bonorum temporalium & eternorum vos amplificet incrementis.

Explicit epistola incipit epylogus.

Nobis asstate, nobis hoc opus recitate, per vos si vultis opus est laudabile multis. Non est a labore si parum &c. tot terras transivimus, neque ceptum iter bene cognitum habuimus, sed per illos qui nove-

rant paulatim inquisivimus. Exurgamus jam a somno, nam satis dormivimus, vel cujus jam diei viam inquisivimus, hac expleta de futura satis cogitabimus, Duce Deo prosequamur, quod interposuimus persolvamus, qui frequenter supra titubavimus & addamus si quid minus ignoranter diximus.

Incipit secundus liber tercii Boleslai.

Natus igitur puer Boleslaus in die festo sancti Stephani Regis, fuit mater vero ejus subsequenter infirmata nocte dominice nativitatis occubuit, que mulier in pauperes & captivos ante diem precipue sui obitus opera pietatis exercebat, & multos Christianos de servitute Judeorum suis facultatibus redimebat. Illa mortua, Wladislaus Dux, quia homo gravis debilisque pedibus erat & etate provectus, habebat sororem Imperatoris tercii Henrici uxorem prius Salomonis Ungarie Regis, de qua nullum filium sed tres filias generavit, una quorum in Russia viro nupsit alia vero suum sacro velamine caput texit, tercia vero quendam sibi sue gentis conjunxit. Sed ne tanti pueri parentem nudo sermone transeamus, aliquo eum ornamento milicie vestiamus. Igitur Polonorum Dux Wladislaus Romanorum Imperatori maritali connubio conjunctus, de Pomeranis castrum eorum obsidendo triumphavit, ecrumquo contumaciam suis sub pedibus conculcando annulavit, quibus victis civitates eorum & municipia infra terram & circa maritima violenter occupavit, suosque vasaldiones & comites in locis principalioribus & municioribus ordinavit, & quia perfidie paganorum omnino voluit insurgendi fiduciam amputare, suosmet prelatos jussit nominato die in hora constituta omnes in meditullio terre municiones concremare, quod sic factum fuit. Nec sic tamen gens rebellis edomari potuit. Nam quos Szczecheus eis prefecerat, qui tunc milicie princeps partim pro eorum noxa peremerunt, nobiliores vero discrecius & honestius se habentes vix amicorum consensu fugaverunt.

Tum Wladislaus Dux illate suis injurie reminiscens cum forti manu terram eorum introivit, ibique jejunii plurimum adimplevit. Expleta itaque ibi jejunii parte quam plurima, urbem terre populosiorem & opulenciorem ex improviso intravit, ibique predam inmensam & captivos innumerabiles congregavit. Cumque jam cum sua preda nihil dubitans remearet, jamque securus sui regni finibus proquinquaret, Pomerani subito subsequentes eum super fluvium quendam invaserunt, bellumque cum eo pridie Palmarum cruentum & luctuosum partibus utrisque commiserunt. Illud enim prelium hora quasi diei tertia est inceptum, vespertino vero crepusculo est disruptum. Pomerani tamen pro municione noctis caliginem induerunt, Poloni vero campum victorie tenuerunt. In dubio enim pependit utrum Christianorum vires an paganorum ibi extiterint inferiores. Quod flagellum ut credimus Deus omnipotens in transgressoribus observancie Christiane ad correctionem exercuit, sicut quibusdam postea de ipso liberatis periculo relevavit. Et quia luctuosa & damnosa sicut dictum est victoria multis

erat,

erat, diesque resurreccionis dominice imminebat, vicit racio recedendi consilium prosequendi.

Itemque de Bohemis tribus aciebus in auxilium evocatis Wladislaus circa sancti solemnia Michaelis victor, ibique Nakel castrum obsidentibus inaudita mirabilia contingebant, que singulis eos noctibus armatos & quasi in hostes pugnaturos terroribus agitabant. Cumque talem delusionem diucius paterentur & quid nam illud esset vehemencius mirarentur, una nocte pavore solito concitati longius a castro exeuntes nocturnas quasi umbras hostium sequebantur. Interim vero oppidani properantes propugnaculo descenderunt eorumque machinas partemque stacionis combusserunt, itaque Poloni cum se nihil fecisse nec se bellum invenisse conspicerent, & cum magna pars exercitus presertimque Bohemi victualia non haberent, incassum labore consumpto redierunt sicque Pomerani contra Poloniam paulatim in superbiam sunt erecti, &c. Sed ne letam exenterare materiam videamur, malorumque invidiam pocius quam detraccionis infamiam paciamur, nec absurdum ullatenus ulli discreto videatur si in hac historia cum legitimo concubine filius inducatur. Nam in historia principali duo filii Abrahe memorantur, sed ad invicem a patre pro discordia separantur. Ambo quidem de patriarche semine procreati sed non ambo jure patrimonii coëquati.

Zbigneus namque a Wladislao Duce de concubina progenitus in Cracoviensi civitate, adultus jam etate literis datus fuit, cumque noverca sua in Saxoniam ad discendum in monasterio monialium transmandabatur. Eo tempore Szczezeus comes palatinus, vir quidem sapiens, nobilis & famosus erat, sed avaricia excecatus multa crudelia & importabilia exercebat, alios scilicet vili occasione transvendebat, alios de patria propellebat, ignobiles nobilibus preferebat, unde multa sua sponte non coacti fugiebant, quia idem sese pati sine culpa metuebant. Sed qui prius fugitivi per diversa vagabantur Brzeczlai Ducis consilio in Bohemia congregantur, ideoque Bohemorum calliditate quosdam precio conduxerunt qui Zbigneum furtim de monasterio monialium extraxerunt. Recepto Zbigneo in Bohemia fugitivi legacionem in hec verba Comiti mittunt nomine Magno Wratislaviensium Capitaneo. Nos quidem Comes Szczezi contumelias in exilio positi toleramus sed &c. lacrimabiliter condolemus, cum laborem honoris non honorem habeas cum pre potencia Szczezei dominari non audeas, sed si jugum servitutis de cervice volueris excutere, festina puerum quem habemus in clipeum defensionis recipere. Et hoc totum Dux Bohemicus suggerebat, qui libenter discordiam inter Polonos seminabat, hoc audito Magnus diu inprimis hesitavit sed communicato consilio majoribus & laudato verbis eorum eum recipiens acquievit, pro quo facto Wladislaus pater ejus contristatur, sed Szczezech cum Regina multo magis conturbatur. Igitur legatum Magno Wratislaviensi magnatibusque regionis transmiserunt sciscitantes quid hoc esset, quod Zbigneum cum fugitivis sine patris imperio recepissent, si rebelles existere, vel obedire sibi vellent. Ad hec Wratislavienses responderunt, non se patriam Bohemis & alienis

tradi-

tradidisse, sed Domini Ducis filium suosque fugitivos recepisse, seque Domino Duci legitimoque filio ejus Boleslao in omnibus & per omnia fideliter obedire, sed Zeczecho suisque malis operibus modis omnibus contraire velle, populus autem legatum lapidare volebat, quia Zeczechi partes falsis ambagibus defendebat. Unde nimis Boleslaus indignatus & Zeczechus ira inflammatus Wladislaum Ungarie Regem & Brzeczlaum Bohemie Ducem in auxilium sibi in Wratislavienses mandaverunt, unde plus dedecoris & damni quam honoris & proficui habuerunt. Nam Zeczechum vinctum se cum in Ungariam &c. Cumque non vel virtute contra Wratislavienses potuissent proficere, quia sui contra suos bellum gerere noluissent, pacem invitus cum filio pater fecit, eumque tunc primum suum filium appellavit. Reversus interim in Poloniam quo fugerat Zeczechus, majores callide promissis & muneribus attentabat, eosque paulatim in partem inflectebat, ad extremum vero pluribus inflexis, Dux Wladislaus cum exercitu ad urbem Wratislaviensem accedit, jam castra per circuitum obtinebat, Zbigneus vero videns sibi proceres intus & extra defecisse, durum intelligens se contra stimulum calcitrasse, vulgi fidei viteque sue diffidens de nocte fugit, fugiensque castrum Cruszwicz militibus opulentum ab oppidanis receptus introivit. At pater dolens eum impune sic evasisse, eumque Cruszwiczenses contra se ipsum recepisse, cum eodem exercitu Zbigneum persequitur totisque viribus Cruszwiczense castrum aggreditur. Zbigneus vero commixta multitudine paganorum, habensque septem acies Cruszwiczensium exiens de castro cum patre dimicavit, sed justus Judex inter patrem & filium judicavit. Ibi namque bellum plusquam civile factum fuit, ubi filius adversus patrem & frater contra fratrem arma nefanda tulit. Ibi miser Zbigneus paterna malediccione, quod futurum erat promeruit. Ibi vero Deus omnipotens Wladislao Duci misericordiam tantam fecit, quod innumerabilem de hostibus multitudinem interfecit, & de suis sibi paucissimos mors ademit. Tantum enim humani cruoris ibi sparsum fuit, tantumque cadaverum castello contiguum corruit, quod ex eo tempore piscem illius aque comedere quisque bonus Christianus exhorruit. Sicque Cruszwicz diviciis primum & militibus opulentum ad instar pene desolacionis est redactum. Igitur Zbigneus in castrum fugiens cum paucissimis est liberatus, utrum vitam perditurus an membronum aliquod incertus. At pater juventutis stulticiam non ulciscens, ne paganis vel alienis gentibus adhereret, unde majus periculum immineret, salute quesita fide concessa secum illum in Mazoviam transportavit, eumque carcere in castro Zeczehi aliquanto tempore maceravit, postea vero in consecracione Gneznensis Ecclesie, interventu Episcoporum & principum eum advocavit & in conspectu eorum graciam quam perdiderat acquisivit.

Miraculum de Sancto Adalberto.

Et quia Gneznensis Ecclesie mentio hic facta est, non est dignum preterire miraculum. In vigilia dedicacionis preciosus Martir Adalbertus a paganis & Christianis est visus. Accidit autem eadem nocte in quoddam castrum Polonorum quosdam traditores ejusdem castri Pomoranos sursum funibus recepisse, eosque receptos in propugnaculis castri ad oppidanorum perniciem expectasse. At ille qui semper vigilat nunquam dormitat, oppidanos dormientes sui militis Adalberti vigilancia custodivit & paganos in insidiis agitavit. Apparuit namque quidam super album equm armatus Pomoranis, qui gladio eos extracto territabat, eosque per gradus & solum castri precipites agitavit, sicque procul dubio castellani clamoribus paganorum & tumultibus excitati, defensione gloriosi Martiris Adalberti ab imminenti sunt mortis periculo liberati. Hec ad presens de Sancto dixisse sufficiat & ab intervallo superioris nostre stilus intencionis incipiatur.

Igitur Gneznensi Ecclesia consecrata & a Zbigneo gracia patris impetrata, Wladislaus Dux ambobus filiis suis exercitum commendavit, & in Pomoraniam eos in expedicionem delegavit. Illi autem abeuntes & quale nescio consilium capientes imperfecto negocio ex itinere redierunt. Unde pater nescio quid suspicans confestim inter eos regnum divisit, sed de manu tamen sua sedes regni principales non dimisit, interrogatus autem pater a principibus, quis eorum excellencius emineret in legacionibus mittendis & suscipiendis, in exercitu convocando & in tanti regni dispensacione multimoda, sic respondisse fertur: Meum quidem est ut hominis senis & infirmi regnum inter eos dividere, ac de presentibus judicare, sed alterum alteri preferre vel probitatem & sapienciam eis dare, non est mee facultatis, sed divine voluntatis. Hoc autem unum cordis mei desiderium possum vobis aperire, quod discreciori & probiori in terre defensione & hostium impugnacione volo vos omnes post mortem meam unanimiter obedire. Interim vero sicut divisum eis regnum partem suam unusquisque retineat. Post obitum quidem meum Zbigneus cum hoc quod habet Mazoviam simul habebit, Boleslaus vero legitimus filius meus in Wratislavia & in Cracovia & in Sandomiria sedes regni principales obtinebit. Facta autem hac regni divisione, quisque puerorum suam partem regni visitavit, eorumque pater semper in sua Mazovia libencius habitavit.

Zeczech & Boleslaus Moraviam vastaverunt.

Nunc vero quoddam pueri Boleslai inicium puerilis milicie depingamus & sic paulatim de minoribus ad majora transcendamus. Sicut notum est, Dux Wladislaus senio gravis & etate Zeczecho palatino comiti suum exercitum committebat, eumque pugnaturum vel terras hostium vastaturum delegabat. Verum cum esset Moraviam invasurus ivit cum eo puerulus solo nomine pugnaturus. Illa vice partem Moravie maximam destruxerunt, indeque predam multam & captivos abduxerunt, ac sine belli discrimine vel itineris redierunt.

Boleslaus puer interfecit aprum.

Multa possum de audacia hujus pueri scriptitare, nisi tempus jam insta-

inſtaret ad ſummam operis properare, tantum quedam in oculto non permittam latitare, cum ſit dignum ad exemplum probitatis rutilare. Quadam vice puer martis ad jentaculum in ſilva reſidens aprum immanem tranſeuntem ac denſitatem ſilve ſubeuntum vidit, quem ſtatim de menſa ſurgens aſſumpto venabulo ſubſecutus ſine comite vel cane preſumptuoſus invaſit, cumque fere ſilveſtri propinquaſſet, & jam ictum in ejus gutture vibrare voluiſſet, ex adverſo quidam miles ejus occurrit, qui vibratum ictum retinuit, & venabulum ei auferre voluit. Tum vero Boleslaus ira imo audacia ſtimulatus geminum duellum mirabiliter, humanum ſcilicet & ferinum ſingulariter ſuperavit. Nam & illi venabulum abſtulit, & aprum occidit. Ille vero miles poſtea cur hoc fecerat requiſitus, ſe neſciviſſe quid egerit eſt profeſſus, & ob hoc tamen eſt ab ejus gracia longo tempore ſequeſtratus. Ilie vero puer inde rediit fatigatus &c.

Aliud quoque ejus factum puerile huic ſimile non tacebo. Idem namque puer cum paucis in ſilva deambulans in eminenciori forte loco conſtitit ac deorſum huc illucque contemplans urſum ingentem cum urſa colludere proſpexit, quo viſo ſtatim aliis prohibitis in planiciem deſcendit ac ſolus ac intrepidus equo ſedens cruentas beſtias adivit, urſumque contra ſe converſum brachiis erectis venabulo perforavit. Quod factum ſatis fuit illic aſtantibus admirandum, & non videntibus pro tanta audacia pueri recitandum.

Ante ea Boleslaus marcialis puer viribus & etate creſcebat, nec ut aſſolet etas puerilis luxui vel vanitatibus intendebat ſed ubicunque hoſtes predas agentes ſenciebat, illuc impigre cum coëvis juvenibus properabat & plerumque furtim cum paucis terram hoſtium introibat, villisque combuſtis captivos & predam adducebat. Jam enim ducatum Wratislavienſem puer etate ſenex probitate retinebat, necdum tamen militare gaudium attingebat, unde quia ſpes in eo juvenis bone indolis pullulavit, jam in eo glorie ſignum militaris apparebat, omnes eum principes diligebant, quod futurum in eo magni aliquid perpendebant.

Idem vero puerulus martis prole progenitus, quadam vice ſuper Pomoraniam equitavit, ubi jam evidencius fama ſui nominis propalavit. Namque caſtrum Medzyrzecz tantis viribus obſedit, quod in paucis diebus oppidanos ad dedicionem compulit. Aliud quoque ſatis nobile & forte caſtrum, gradu concito obſeſſurus invaſit. Quod tamen ejus primum impetum non evaſit, unde predam multam & captivos egit.

His ita peractis, ecce nunciatum eſt eis Pomoranos exiviſſe, eosque contra Zantok regni cuſtodiam propugnaculum oppoſitum erexiſſe. Zbigneus autem quoniam major natu erat partemque regni Pomoranis patrique proximam retinebat, cum exercitu ſuo patriſque contra Pomoranos ſine fratre parvulo properavit, minusque tum laudis multis

antecedens, quam junior frater cum paucis ſubſequens acquiſivit. Nam major illuc properans videlicet caſtrum id novum viriliter aſſultavit nec hoſtes cum tanta multitudine in prelium irritavit. Sed timens ille magis quam timendus ad propria remeavit. At puer Boleslaus Martis filius fratre majore diſcedente ut advenit quamvis nondum cinctus gladio, plus precipiens quam frater major tenens gladium ibi fecit, nam & potenciam omnem invadendo caſtellanis abſtulit, & in portam proſequendo ſuos enſes intulit. Hoc inicium milicie Boleslai magnum terrorum intulit ipſis eciam Pomeranis, Zbigneo autem cum multitudine venienti nihilque virile facienti, inſultantes ignaviam aſſcribebant, Boleslaum vero cum paucis poſtea venientem, & audacter ſuos hoſtes usque ad portam invadentem lupi filium appellabant, Zbigneus inquientes, ut clericus debet eccleſiam gubernare, iſtum vero decet puerulum ſtrenuis actibus militare. Sicque junior frater cum paucis paulatim incedens, plus honoris & laudis acquiſivit quam major, qui cum magno impetu & cum magna multitudine properavit. Videntes igitur pagani puerum qui paucos habebat revertentem, intuentes interitum ſi cum multis redierit imo imminentem, caſtellum ſuum quod fecerant ipſimet deſtruxerunt caſſoque labore ſecuritatis latibula pecierunt.

Videns igitur Wladislaus, quia puer etate florebat geſtisque militaribus prepollebat, multisque regni ſapientibus complacebat, eum accingi gladio in aſſumpcione ſancte Marie diſpoſuit, apparatumque magnificum in civitate Plocenſi preparavit. Jam enim etate & infirmitate continua ſeneſcebat, & in illo puero ſucceſſionis fiduciam expectabat. Dum ſe cuncti prepararent, & ad feſtum properarent, nunciatum eſt Pomeranos Zantok caſtrum obſediſſe, nec audebat quisquam eis de principibus contraire. Igitur invito patre multisque prohibentibus puer Martis illuc irruens de Pomoranis triumphavit, ſicque rediens armiger victor a patre gladio precinctus, cum ingenti tripudio ſolennitatem celebravit, neque ſolus illa die balteo militari cinctus fuit, ſed ob amorem filii multis pater coëtaneis arma dedit.

Boleslao igitur milite noviter conſtituto in Ruthenis Deus revelavit, quanta per eum operari debeat in futuro. Contigit namque noviter eo militari balteo precincto, Ruthenos in unum innumerabiles conveniſſe ſeque more ſolito per Poloniam diſcurſuros in partes ſejunctos tres vel quatuor ab invicem remocius Wyslam fluvium nocturno tempore transnataviſſe, qui ſequentis diei diluculo curſu rapido velocius diſcurrentes & predam innumerabilem capientes onerati ſpoliis circa veſperam ultra retro fluvium redierunt, ibique ſecuri atque fatigati nocturne quieti tuguria poſuerunt, ſed non ita ſecuri quieverunt ſicut antiquitus conſveverunt. Nam Deus Chriſtianorum conſervator, ſueque vigilie vindicator, fidelium audaciam in multorum paganorum perniciem ſuſcitavit. Quibus irruentibus in gloriam diei dominice ſue potencie brachio triumphavit. Ex eo tempore Rutheni adeo ſunt ſtupefacti, quod regnante Boleslao videre Poloniam non ſunt auſi.

Sed ad presens se puer Boleslaus a labore reficiat, dum Ducem Wladislaum pium & mansvetum virum in pace penna nostra sepeliat. Igitur Dux Wladislaus corporea mole solutus ad locum debite mansionis perrexit eternaliter permansurus. Mortuus autem etate plenus & in infirmitate longa detentus. Cujus exequias quinque diebus in urbe Plocensi cum capellanis celebrando Martinus Archiepiscopus expectando filios sepelire non est ausus. Advenientes autem ambo fratres adhuc insepulto patre magnum inter se pene de dividendo thesauro & regno dissidium habuerunt, sed divina gracia inspirante & Archiepiscopo sene & fideli mediante preceptum viventis in presencia mortui tenuerunt. Wladislao igitur Duce in ecclesia Plocensi honorifice satis ac magnifice tumulato, thesaurorumque patris ac regni Polonie vivente patre facta divisione designata, sortem uterque sue divisionis habuit. Boleslaus tamen legitimas duas sedes regni principales partemque terre populosiorem obtinuit. Puer autem Boleslaus adepta parte patrimonii militibus & consilio confortatus, cepit animi virtutem viresque corporis exercere, cepitque fama simul & etate juvenis bone indolis adolere.

Boleslaus expugnavit Albam urbem Regiam.

Novus igitur miles nova bella incipit renovare, hostesque suos cogitat acrius & frequencius provocare. Convocata itaque multitudine bellatorum cum paucis electis penetravit meditullium patrie paganorum. Cumque ad urbem regiam & egregiam Albam nomine pervenisset, neque partem terciam sui exercitus habuisset, equo descendens nullum instrumentum expugnandi vel machinamentum adaptavit, sed violenter ac mirabiliter urbem opulentam & populosam die qua venerat expugnavit. Dicunt eciam quidam eum primum omnium invasisse, eumque primum propugnacula conscendisse, ex quo facto terribilis pernimium extitit Pomoranis suisque laudabilis & amabilis omnibus Christianis. De civitate autem predam mirabilem apportavit municionem vero planiciei coëquavit &c.

Sed pretermissis pluribus loco suo recitandis, de nupciis referamus ejusque dictis Boleslai magni regis muneribus comparandis. Qualiter autem hoc a Paschali Papa secundo concessum fuit, quod nupcias istas de consangvinitate inire licuerit, Balduinus Cracoviensis Episcopus ab eodem Papa consecratus Rome, fidei ruditatem & patrie necessitatem intimat, sicque Romane sedis autoritas ut fertur hoc conjugium misericorditer non canonice nec usualiter sed singulariter collaudavit. Nos autem de puncto illo tractare vel justicia materiam non habemus, sed res gestas Regum Ducumque Polonie sermone tenui recitemus. Octo siquidem diebus ante nupcias, totidemque post nupcias belligerator Boleslaus dare munera non quievit, aliis scilicet renones & pelles palliis coopertas & aurifrisiis delibutas, principibus pallia, vasa aurea, & argentea, aliis civitates & castella, aliis villas, predia &c.

Interea Zbigneus frater ejus qui vocatus ad nupcias fratris venire recu-

recusavit cum Pomoranis & Bohemis amicicias federavit, & dum nupcie fierent, ut ferunt, intrare Poloniam Bohemos animavit, qui Bohemi per provinciam Wratislaviensem discurrentes & predas captivosque colligentes & incendia facientes, pluribus annis damnum illi regioni nocivum intulerunt. Quo audito impiger Boleslaus licet magis de violata fraternitate quam de regni populacione doluerit, misit tamen legacionem fratri cur hoc sibi fecerit, vel in quibus eum offenderit. Zbigneus contra se tale quid nescivisse respondebat seque innoxium talis flagicii quibusdam circumlocucionibus asserebat, cumque Boleslaus assidue cum hostibus & Bohemis & Pomoranis dimicaret, sueque divisionis porcionem ab invasoribus viriliter propugnaret, Zbigneus fratri suo laboranti nec invitatus auxilium impendebat. Insuper eciam occulte cum hostibus fratris fedus & amiciciam conjungebat, & pecuniam illis pro militibus & subsidium transmittebat, & cum frequenter eum belligerator Boleslaus & legatis & colloquiis conveniret fraterna caritate commonendo, ne familiaritatem & amiciciam cum hostibus paterne hereditatis palam vel clanculo iniret, unde magnum regno Polonie discidium eveniret, ille eque sapienter & pacifice respondebat & sic fratris & principum invidiam temperabat. Sed de hoc plenius in alio loco subsequenter differamus & interim gestis Boleslai militaribus alludamus.

Poloni vastaverunt Moraviam.

Igitur belligerator Boleslaus, injurie Bohemorum vindicator, tres acies militum in Moraviam transmisit, qui in ipsa hebdomade dominice resurrectionis euntes & predam & incendia facientes, dignam sue pene factam reconpensacionem invenerunt. Nam Swanthopol Dux Moravie cum acri militum acie persecutus est eos cum redirent & abstulissent eis predam ut ajunt ni cum ea pedites abiissent. Videntes autem Poloni Moravos ad bellum preparatos fiducialiter propinquare, non cogitant in fuga sed in armis suam fiduciam collocare. Igitur bellum acerrimum utrinque inchoatur, quod non sine damno gravissimo partibus singulis terminatur. In primo namque conflictu Swanthopol Dux Moravie sicut aper molossis indagatus scilicet undique curvo dente percutiens, alios perimit aliis viscera fundit, nec prius gradum figit, vel facere damnum desistit, donec venator anhelus cum alia turba canum suis laborantibus occurrit. Sic primum Swanthopol Polonos onustos preda circumflexo tramite precidens pene triumphaliter oppressisset, ni militaris acies totque viribus glomerata iram instantis pariter & audaciam repressisset. Tum quidem tinnitus de galeis percussis per cava moncium condensaque silvarum resonat, ignis scintille de ferro per aëra micant, haste clipeis collise crepant, pectora scinduntur, manus & cervices corporaque truncata per campum palpitant. Ibi campus martialis, ibi fortuna ludit. Ad extremum adeo sunt utrinque fatigati, & in damno peremptorum militum coëquati, quod nec Moravi letam victoriam habuerunt, nec Poloni notam infamie meruerunt. Ibi quoque Zelizlaus manum clipeo pectus tegens amisit, quam amissam sta-

tim

tim viriliter abſciſſorem interimens vindicavit. Dux vero Boleslaus ob honorem ſibi pro carnea manu auream reſtauravit. Item ipſe Boleslaus Moraviam intravit, ſed cunctis ruſticis audita fama in municionibus cum preda receptis, licet Bohemis & Moravis congregatis, incendio majori quam alio damno ibi facto tantum inpugnatus remeavit, in quo facto difficultate rei perpenſa non parvam gloriam acquiſivit. Nam de parte Polonie Moravia arduitate moncium ac denſitate ſilvarum adeo eſt obſtructa, quod & pacificis viatoribus & peditibus expeditis periculoſa videatur ac pernimium oneroſa. Ipſi eciam Moravi adventum ejus longe ante preſcientes, non ſunt auſi cum eo prelium campeſtre committere, nec in itineris inſidiis ſaltum intranti vel exeunti reſiſtere.

Boleslaus Bohemos profugavit, & Pomoranos ſubjugavit.

Hoc eventu Boleslaus cum eodem exercitu de Pomoranis ſe vindicare diſpoſuit, jamque cepta via Bohemos in Poloniam exire fama precurrens innotuit. Tunc vero Boleslaus in dubio magno pependit, utrum prius de recenti contumelia ſe debeat continuo vindicare, an ab invaſoribus ſuam patriam liberare. Tandem ſicut Machabeorum imitator, diviſo exercitu & patrie defenſor extitit & injurie vindicator. Nam partem exercitus inPomoraniam delegavit,que depredando & comburendo ſatis eos turpiter conculcavit. Ipſe vero cum expeditis militibus Bohemis obviam properavit, eosque de ſilvis exituros diucius expectavit, ſed eos audita fama Boleslai timor animi revocavit.

Non ſolum autem exterorum diſcordia vel bellum hoſtium Boleslaum aggravabat, verum eciam ſedicio civilis, immo fraterna invidia modis omnibus infeſtabat. Eo namque bello ſuperiori aliquantulum inclinato plus gaudebat Zbigneus quam eo victoria multociens exaltato. Cujus rei manifeſtum indicium apparebat, cum a paganis de victoria pro ſigno munuſcula capiebat & legatis magna pro parvis munera rependebat, & ſi Poloniam depredantes de ſorte Boleslai captivos adducebant, ſtatim eos venundandos ad barbarorum inſulas transportabat, ſi quid vero vel predam vel homines ignoranter de parte Zbignei capiebant, illud ſine precio vel dilacione remittebant, unde cuncti Polonie ſapientes indignati ad odium Zbignei ex amicicia ſunt redacti, ſic ad invicem inquientes & tale conſilium capientes, usque modo patrie noſtre diſcidium vel detrimentum vel negligentes & diſſimulantes pernimium ſuſtinuimus pacienter, ſic vero hoſtes latentes manifeſtos & inſidias occultas detectas cernimus evidenter, ſcimus enim & certi ſumus, quia frequenter Zbigneus Boleslao nobis preſentibus hec jurat, unde non ſemel vel tercio vel multociens pejerat, quoniam non cum amicis fratris amiciciam retinebat, nec cum inimicis inimicicias excercebat, imo per contrarium hoſtium fratris amicus & amicorum inimicus exiſtebat. Ideo vero ſolum ei ſufficiebat fidem promiſſam violare vel juratum auxilium non preſtare, verum eciam ſi fratrem ire ſuper hoſtes ſenciebat, ex altera parte Poloniam hoſtes alios intrare incitabat, & ſic eum a propoſito revocabat, qui ſatis puerile conſilium & noci-

nociturum audiebat, cum per paucorum odium totam patriam offendebat, hanc paternam hereditatem conculcandam hoſtibus exponebat, & quoniam Zbigneus malo conſilio ſuggerente, neque fidem fratri neque jusjurandum obſervabat, nec honorem patrie nec paternam hereditatem defendebat, neque damnum vel detrimentum imminens perpendebat, heu cecidit inde gravius unde noluit exaltari, & unde non poterit a ſuis male ultoribus relevari, unde poſteri ſibi caveant, & parentes ne ſint in regno pares ſocii diffidentes.

Boleslaus autem hec omnia ſoli Deo commendabat, injuriamque fraternam ad hoc equanimiter tolerabat, ſemperque laborioſus Poloniam ſicut leo rugiens metuendus circuibat, cum forte fuit interim nunciatum Boleslao Koſle caſtrum in confinio Bohemorum a ſe ipſo tamen non ab hoſtibus concrematum, qui reputans aliquem per tradicionem hoc feciſſe, dubitansque Bohemos ad illud muniendum properare, illuc ſtatim cum paucis transvolavit, ibique laborem manibus propriis inchoavit. Jam enim tantum tamdiu huc illucque curſitans, ſuos ita fatigatos reddiderat, quod tam ſubito revocare injurioſum viſum erat, tamen & ſuos ad auxilium advocavit, & fratrem per nuncios ſatis idoneos invitavit, eique verba ſubſequencia delegavit. Quoniam frater, inquit, cum ſis major etate parque beneficio regni diviſione, me ſolum juniorem laborem totum ſubire permittis, nec te de bellis vel regni conſiliis intromittis, aut totam regni curam ac ſolicitudinem, ſi major eſſe vis, ſuſcipere, aut mihi legitimo, licet juniori, onus terre ſufferenti totum laborem permittere debes, ſi non prosis ſaltem non noceas. Quodſi curam iſtam ſuſceperis & in vera caritate perſtiteris, quocunque me pro communi conſilio vel utilitate regni vocaveris, me promptum ibi cooperatorem obtinebis. Aut ſi forte quiete vivere quam tantum laborem ſuſcipere malueris, mihi totum permitte & ſic Deo propicio tutus eris. Ad hec Zbigneus convenientem nequaquam reſponſionem remandavit, ſed legatos pene vinculis & carceri mancipavit. Jam enim totum ſuum exercitum fratrem invaſurus collegerat, ſimulque Pomoranos ac Bohemos ad eum de Polonia propellendum acciverat. At Boleslaus caſtro munito horum inſcius in loco vocabulo lapis reſidebat, ibique jacens more ſolito vicinorum & rumores & legaciones audiebat & velocius ex improviſo ſuis hoſtibus occurrebat. Legati tandem vix amicorum ſubſidio liberati, ad Boleslaum nunciantes que viderant & audierant ſunt reverſi, quo audito Boleslaus an reſiſtat an deſiſtat diu dubitans heſitavit, ſed reverſus ad cor ſuum quantocius ſuum exercitum congregavit, & ad Reges Ruthenorum & Ungarorum pro auxilio delegavit, ſed ſi per ſe vel per ipſos nihil agere potuiſſet, ipſum regnum & ſpem regni expectando perdidiſſet &c.

Igitur belligerator Boleslaus tribus exercitibus circumdatus, quos prius expectet vel in quos irruat meditatur, ſicut leo vel aper moloſſis canibus indagatus, latratibus canum tubisque venatorum ad iracundiam provocatur. Sed omnes tamen Boleslaum metuebant, quod eo ſtante medio ad locum terminatum convenire non audebant. Interim autem

autem Zbignei litere capte cum nunciis sunt allate, quibus multe tradiciones & insidie sunt prolate, quibus lectis quisque sapiens admiratur, totusque populus pro periculo lamentatur. Ad extremum vero Boleslaus sapienter satis & convenienter pro tempore pacem cum Bohemis federavit, ac exercitu concitato Zbigneum eliminare disposuit. Zbigneus vero non fratris adventum eadem facturus vel bellum commissurus, nec castris securus nec civitatibus retardavit, sed fugiens velut cervus Wyslam fluvium transnatavit.

Zbigneus rediit in graciam fratris.

Et Boleslaus festinanter satis adveniens, ibi quosdam fideles Zbignei sibi resistentes inveniens, paucis diebus & illud castrum obtinuit, & accepta legacione suum comitem in Gneznensi civitate conclusit, quem audita fama sue sedis reddite vix exclusit. Quo secum assumpto ad lucie sedem translatam properavit, ibique vetus castellum contra Mazoviam reparavit. Tunc primum Ruthenorum auxilium & Ungarorum commeavit, cum quibus iter arripiens Wyslam fluvium transmeavit. Tunc vero Zbigneus in desperacionem est redactus, ac Duce Ruthenorum simulque Balduino Cracoviensi episcopo mediantibus, ante fratrem satisfacturus & obediturus est adductus. Tunc primum inferiorem se fratre reputavit, tunc iterum se nunquam fratri fore contrarium sed in cunctis obediturum, & castrum Galli destructurum, coram omnibus abjuravit. Tunc a fratre Mazoviam retinere sicut miles non ut Dominus impetravit. Pacificatis itaque fratribus Ruthenorum exercitus & Ungarorum ad propria remeavit. Boleslaus vero per Poloniam quocunque sibi placuit ambulavit &c.

Zbignei perfidia erga fratrem.

Rursus hyemali tempore Pomoraniam invasuri Poloni congregantur, ut facilius municiones congelatis paludibus capiantur. Tunc quoque Boleslaus Zbignei perfidiam est expertus. Zbigneus namque in omnibus perjurus & quod manifeste pejeraverat est repertus, qui castrum quod Gallus fecerat non destruxit nec in fratris auxilium invitatus unam solam aciem non instruxit. Dux vero contrubatus aliquantulum ex hac arte suum habens propositum, cor habens in domino non in fratre. Igitur sicut draco flammivomus suo flatu vicina comburens, non combusta flexa cauda percuciens, terras transvolat nociturus, sic Boleslaus Pomoraniam impetit, ferro rebelles, igne municiones destructurus. Sed quid eundo per terram vel redeundo fecerit, obmittamus, sed in medio terre civitatem Albam conditam adeamus. Adveniens itaque Boleslaus ad urbem que quasi centrum & medium reputatur, castra ponit, instrumenta parat, quibus leviori & minori periculo capiatur, quibus partibus assidue armis & ingeniis laboravit, qui paucis diebus urbem cives reddere coarctat, qua recepta suos ibi milites collocavit, signoque dato motisque castris ad maritima properavit. Cumque jam ad urbem Gologum declinaret, & castrum mari proximum expugnaret, priusquam ad urbem accedere cogitaret, ecce cives & oppidani pronis cervicibus Boleslao obviam procedentes, semet ipsos & fidem & servicium preferentes. Ipse quoque Dux Pomoranorum adveniens Boleslao se inclinavit ejusque residens equo se servicio & milicie deputavit, quinque enim Boleslaus hebdomadis expectando bellum vel querendo per Pomoraniam equitavit, ac totum pene regnum illud sine prelio subiugavit. Talibus ergo Boleslaus preconiorum titulis est laudandus, talibus bellorum & victoriarum triumphis coronandus.

Sed cum isto gaudio de victoria triumphali exortum est majus gaudium, orto sibi filio progenie de regali, puer autem etate crescat, probitate proficiat, probis moribus augeatur, de patre autem sufficiat si cepta materia teneatur.

Videns autem Boleslaus, quod frater condicionibus promissis & juratis fidei nullus existebat, & quod toti terre noxius & obnoxius obsistebat, eum de toto regno Polonie profugavit, sibi resistentes & castrum in confinio defendentes cum auxilio Ruthenorum & Ungarorum oppugnavit, sicque dominium Zbignei malis consiliariis est finitum, totumque regnum Polonie sub Boleslai dominio counitum & cum ista brumali tempore peregisse multis sufficeret ad laborem, Boleslaus tamen nihil grave reputat, ubi regni proficuum augmentari noverit vel honorem.

Saxones navigio venerunt in Prussiam.

Igitur in Prussiam terram satis barbaram est ingressus, unde cum preda multa, & factis incendiis cum pluribus captivis, querens bellum nec inveniens est reversus. Sed tamen cum forte contigerit regionem istam in memoriam incidisse, non est inconveniens ex relacione majorum aliquid addidisse. Tempore namque Caroli Magni Francorum Regis cum Saxonia sibi rebellis existeret, nec dominacionis jugum nec fidem Christianam susciperet, populus iste cum navibus de Saxonia transmeavit, & regionem istam & regionis nomen occupavit. Adhuc ita sine Rege sine lege persistunt, nec a prima perfidia nec ferocitate desistunt, terra enim illa lacubus & paludibus est adeo communita, quod non esset vel castellis vel civitatibus sic munita, unde non potuit ab aliquo subjugari, quia nullus potuit cum exercitu tot lacubus & paludibus transportari.

Miraculum de Pomoranis.

Nunc autem Prussos cum brutis animalibus relinquamus, quandam relacionem relacionis capacem, imo Dei miraculum referamus. Contigit namque Pomoranos de Pomorania prosilisse eosque more solito predam capturos per Poloniam discurrisse. Quibus dispersis & discurrentibus per diversa, cunctisque mala facientibus & perversa, quibus tamen

tamen ad majora eorum ſcelera proruperunt, qui Metropolitanum ipſum & ſanctam Eccleſiam invaſerunt. Igitur Martinus Archiepiſcopus Gneznenſis, in eccleſia ſua confeſſionem cum ſacerdote miſſam auditurus faciebat, ſuamque viam in ſellatis equis alio iturus diſponebat. Sicque procul dubio ſimul omnes ibidem fuiſſent jugulati, aut pariter dominus ſicut ſervus captivitatis fuiſſent vinculis mancipati, niſi quidam de miniſtris foras aſtantibus, armis eorum recognitis, ad eccleſie januam properaſſet, jamque adeſſe Pomoranos preſentes nunciaſſet. Tunc vero preſul & ſacerdos Archidiaconus tremefacti de vita temporali deſperare jam ſunt coacti, quid conſilii caperent, vel quid agerent, aut quo fugerent, arma nulla, clientes pauci, hoſtes in januis, & quod periculoſius videbatur, eccleſia lignea ad comburendum eos paracior habebatur. Tandem Archidiaconus per oſtium exiens per ſolarium coopertum ad equos ire volebat, & ſic ſe evadere putabat. Sed ſalutem deſerens & ſalutem querens a ſalute deviavit, ſed Pomoranis illuc irruentibus obviavit. Quo capto pagani putantes Archiepiſcopum eſſe gaviſi ſunt vehementer, quem poſitum in vehiculo non ligant non carcerant. Interim autem Archiepiſcopus Deo ſe votis & precibus commendavit, ſeque crucis ſacro ſignaculo ſignavit, nec ubi juvenis dubitaret illuc ſcandere ſenex tremulus dubitavit. Mirabile dictu, vires quas etas ſemel denegavit periculum mortis timorque ſubitaneus miniſtrat, poſtquam enim ſicut erat paratus ſe poſt altarium reclinavit, & ſic uterque preſul & ſacerdos Deo juvante manus hoſtium evitavit. Nam paganos in Eccleſiam irrumpentes, ita divina majeſtas excecat, quod nullus eorum vel ſurſum aſcendere vel poſt altare reſpicere ad memoriam revocavit. Qui tamen eccleſiae reliquias abſtulerunt ſtatimque cum eis & cum Archidiacono quem ceperant abierunt. Sed Deus optimus ſic preſulem, ſacerdotem & Eccleſiam liberavit, reliquias poſtea totumque ſanctuarium incontaminatum & inviolatum Archiepiſcopo reſtaurat, quicunque enim paganorum reliquias vel veſtes vel vaſa ſanctuarii poſſidebat, vel caducus eum morbus vel inſania terribilis agitabat. Unde Dei magnificentia tremefacti, captivo Archidiacono cuncta reddere ſunt coacti, ipſe quoque ſanus & incolumis Archidiaconus de Pomorania remeavit, ſicque ſuis omnibus reſtitutis Archiepiſcopus Deum mirabilem in ſuis operibus collaudavit. Ex ea die Pomorani paulatim incipiunt admirari, nec ita ſunt auſi poſtea per Poloniam evagari.

Iterum igitur Boleſlaus in Pomoraniam redire parat ad bellum, & cohortibus inſtauratis hoſtium terram ingrediens, non predas ſequitur vel armenta, ſed caſtrum Velun obſidens machinas preparat & diverſorum generum inſtrumenta. At contra caſtellani in arce diffidentes ſolum in armis confidentes propugnacula relevant, deſtructa reparant, ſudes & lapides ſurſum elevant, obſtruere portas feſtinant. Machinis itaque preparatis & univerſis ad arma vocatis, Poloni undique viriliter caſtrum oppugnant, Pomorani vero non minus defendunt, Poloni gloriam appetebant, Pomorani libertatem defendebant. Igitur Pomorani vigiliis & laboribus fatigati ſe non poſſe tantis reſiſtere viribus medi-

tantes, de primo faſtu ſuperbie deſcendentes, ſe ſe caſtellumque recepta Boleſlai chyrotheca pro pignore tradiderunt. At Poloni tot mortes, tot aſperas hyemes, tot tradiciones & inſidias memorantes omnes occidunt, nulli parcentes, nec ipſum eciam Boleſlaum hoc prohibentem audientes. Sicque paulatim rebelles & contumaces Pomorani per Boleſlaum deſtruuntur, ſicut jure perfidi deſtrui debent. Caſtellum vero Boleſlaus melius ad retinendum firmavit, eo quoque munito neceſſariis, ſuos ibi milites collocavit.

Sexcenti Pomerani in Mazovia ſunt peremti.

Sequenti tamen eſtate congregati tranſierunt in Mazoviam predam capere Pomorani. Sed ſicut ſibi ex Mazovienſibus predam facere ſunt conati, ipſorum Mazovienſium preda fieri ſunt coacti. Ipſi namque per Mazoviam curſitantes, predam & captivos congregantes & edificia concremantes jam ſecuri cum preda ſtabant, nec de bello dubitabant, & ecce Comes nomine Magnus cum Mazovienſibus paucis quidem numero, probitate atque viribus numeroſis contra plures & innumerabiles paganos horribile prelium introivit, ubi Deus ſuam omnipotenciam relevavit. Nam de paganis ibi plus quam ſexcentos ajunt interiiſſe, predamque totam illis & captivos Mazovienſes abſtuliſſe, reſiduos quoque vel captos non eſt dubium vel fugiſſe. Quippe Symon illius regionis Preſul oves ſuas lupinis morſibus laceratas luctuoſis vocibus cum ſuis clericis, infulis indutus pontificalibus ſequebatur, & quod armis ſibi materialibus non licebat, hoc armis proficere ſpiritualibus & oracionibus ſatagebat, & ſicut antiquitus filii Iſrael Amalechitas oracionibus Moyſis devicerunt, ita nunc Mazovienſes de Pomoranis ſui antiſtitis adjuti precibus victoriam habuerunt. Sequenti eciam die due mulieres fraga per devia legentes, uno milite Pomoranorum invento, novam victoriam retulerunt, quem armis exutum religatis poſt tergum manibus, in preſenciam Comitis & pontificis adduxerunt.

Zbignei quoque milites cum Bohemis per regionem Zileſienſem depredantes & concremantes, ſimili infortunio ab ipſis ſuperati, quidam vero capti, quidam gladio jugulati. His autem minoribus pertractatis aliquantiſper quieſcamus, ut contextum de majoribus librum tercium adeamus.

Explicit liber ſecundus. Incipit liber tercius & primo prologus.

Capellanis Ducalibus venerandis, aliis bonis Clericis per Poloniam memorandis, preſentis autor opuſculi ſic bona temporalia preterire, ut liceat expedite de caducis ad permanencia tranſilire. Primum omnium vos ſcire volo fratres cariſſimi, quod non ideo tantum opus cepi ut per hoc fimbrias mee puſillanimitatis dilatarem, nec ut patriam vel parentes meos exul apud peregrinos exaltarem, ſed ut in vobis aliquem fructum mei laboris ad locum mee profeſſionis reportarem. Item id veſtre diſcrecioni manifeſto, quod non ut me quaſi ceteris preferendo

vel quasi facundiorem in sermone referendo, hunc laborem suscepi, sed ut otium evitarem & dictandi consvetudinem conservarem, & ne frustra panem Polonie manducarem. Insuper eciam copiosa bellorum materia, ad presumendum onus viribus inequale meam ignoranciam excitavit, ipsiusque Ducis Boleslai probitas ac magnanimitas audendi fiduciam ministravit. Quocirca non mea sed vestra percipite, non fabrum sed aurum perpendite, non vasa sed vinum ebibite, & si forsan in hoc opere verborum nuditatem accusatis, ex his saltem materiam tractandi argumentum magni habeatis. Quod si Reges Polonos vel Duces fastis indignos annalibus judicatis, regnum Polonie procul dubio quibuslibet incultis barbarorum nacionibus preferetis, & si forte proponitis, me talem talisque vite indignum talia presumpsisse, respondebo, bella Regum atque Ducum non evangelium me scripsisse. Nunquam enim fama vel milicia Romanorum vel Gallorum celebris per mundum haberetur, nisi scriptorum testimoniis posterorum memorie imitacioni servaretur. Maxima quoque Troya quamvis destructa jacebat & deserta, eterne tantum memorie poëtarum titulis est inserta, muri coëquati, turres destructe jacent, loca spaciosa amena habitacione carent, in palaciis Regum & Principum lustra ferarum & cubilia secreta latent. Troge tamen Pergama ubique terrarum scriptura clamante predicatur. Hector & Priamus plus in pulvere quam Regum solio recitantur. Quid de Alexandro Magno, quid de Antiocho, quid de Medorum & Persarum Regibus, quid de Tyrannis barbarorum memorarem, quorum si tantum nomina recitarem opus hodiernum in diem crastinam prolongarem, horum tamen fama preconiis immortalis, quorum vita non est perpetua sed penalis. Nam sicuti sancti Viri bonis operibus & miraculis celebrantur, ita mundani Reges & Principes bellis triumphalibus & victoriis sublimantur, & sicut vitas sanctorum & passiones religiosum est in ecclesiis predicare, ita gloriosum est in scholis vel in palaciis Regum ac Ducum triumphos & victorias recitare, & sicut vite sanctorum vel passiones ad religionem mentes fidelium instruunt in ecclesiis predicate, ita milicie regum animos accendunt in scholis vel in palaciis recitate. Sicut enim pastores Ecclesiarum fructum animarum debent querere spiritualem, sic defensores honorem patrie famamque dilatare student & gloriam temporalem. Opus enim Dei ministros in his que Dei sunt Deo spiritualiter obedire & in his que sunt Cesaris, honorem & servicium mundi principibus exhibere. Quid enim mirum si viri triumphatores & incliti famam & gloriam appetunt ex virtute, cum eciam Cleopatra Carthaginis regina imperium romanum avida laudis transferre voluit, virili audacia non naturali sive feminea probitate, & si femina querens imperium navali prelio superata morte terribili semet ipsam perimere maluit quam servire, quid est mirum, si patriam vel hereditatem paternam defendentes vel illatam injuriam prosequentes, in bello famosa non venenosa morte magis appetunt interire, quam ignominiose suis obnoxiis obedire. Constat ergo ex his superius approbatis rebus gestis Polonorum principum recitatis, constat quoque vestro judicio confirmandum presens opus vestro interprete recitandum. Insuper illud causa Dei causaque Polonie providebit vestre

stre discretioni probitatis, ne mercedem tanti laboris impediat vel odium vel occasio mee cujuslibet vanitatis. Nam si bonum & utile opus meum honori patrie a sapientibus judicatur, indignum est & inconveniens, si consilio quorundam artifici merces operis auferatur.

Explicit prologus incipit epilogus.

Deo vero laus & honor, regnum, virtus, gloria, Pomorana subjugatur cujus sub potencia, Boleslao triumphanti salus & victoria, ad honorem Jesu Christi referamus omnia, qui gubernat totum mundum sua sapiencia. Non hec fecit vis humana, sed neque milicia. Boleslaus obsidebat castrum antiquissimum, viris, armis, & nature situ munitissimum, & ad damnum sui regni periculosissimum, Pomorani venientes obsessum succurrere, in incautos obsessores properant irruere. Sed inani spe decepti sunt acti non optime, per opaca deviando cuncti fere pedites, fugiendi ne spem ponant in caballis milites, ex occulto per ignotos emersere tramites. Boleslaus Dux armatus cum paucis militibus, Scarbimirus Palatinus cum collateralibus, septingenti conflixere cum XXIX. millibus, namque nocte precedente fecerant excubias, & audito quod venirent miserant insidias, sic habebat Dux transmissas huc & illuc copias. Illi vero recurvati ordinarunt prelium, &c. Boleslaus Dux de illis cavens satis callidus, transgirando vertit eos usque quaque providus, ut vir audax bellicosus atque laudis avidus, Scarbimirus ex adverso se confert in medios, & hortatur & confortat ad pugnandum socios. Tales inquit Pomorani non sensistis gladios, sed quid plura, terga vertunt Pomorani prelio nec fuit tanta cedes super illos alio, septem castra acquisivit Dux de belli premio. In his ergo collaudemus Deum & Laurencium, die cujus sacro sancto commissum est prelium. Inde sibi fiat dignum ibi edificium, tam preclara Boleslai descripta victoria assignetur cum Augusto pax & amicicia, confirmetur sicut decet fraterne concordia, qua de causa per quas partes Imperator venerat, quanto fastu qua virtute regnum hoc intraverat, quos proponi quos deponi jam disposuerat. Sed quid valet contra Deum virtus vel consilium, sine cujus nutu nil fit nec movetur folium, qui convertit in convalles si vult juga moncium, Boleslaus statim regno magnus Dux & Dominus, & paratus est ad bellum sicut Leo cominus, qui resistit superatur sive fugit protinus, Bomienses quid tardatis colla vestra subdere, cum cernatis ipsum Regem Boleslao cedere, hic sciatis vos non posse viribus resistere, non est hostis tanto Duci congredi qui valeat & qui parem profiteri se se palam audeat, nec vicinus qui cum eo de pace non gaudeat, nam in hostes triumphator existit mirificus, erga cunctos cum honore dator est mirificus. Ungarorum Rex per eum consistit pacificus, non est tempus quanta fecit enarrandi singula, qui noverunt qui senserunt carceres & vincula, nos ad laudes non ad fraudes damus hec munuscula.

Multis & innumerabilibus Boleslai tercii gestis militaribus memorandis intitulandum precipue, qualiter die sancti Laurencii contigerit

Pomoranis, utque repressa sit ira Cesaris & ut impetuosis ostentum fuerit Alemannis. Quoddam namque castrum nomine Nakel in confinio Polonie ac Pomoranie paludibus & opere firmum constat, ad quod capiendum Dux belligerator cum exercitu suo sedens armis & machinis laborabat, cumque oppidani resistere tante multitudini non posse se vidissent & cum tamen a suis auxilium Principibus expectassent, inducias quesierunt, diemque certum constituerunt, infra quem si sui eos non juvarent in potestate hostium & oppidum & se darent. Inducie quidem assultandi eis conceduntur, sed apparatus tamen expugnandi minime differuntur. Interim oppidanorum nuncii Pomoranorum exercitum convenerunt, eisque paccionem suorum factam cum hostibus retulerunt. Tunc vero Pomorani audita legacione stupefacti conjurant insimul, velle se pro patria mori vel victoriam contra Polonos adipisci. Dimissis igitur equis ut adequato periculo fiducia cunctis major esset atque audacia, nullam viam vel semitam gradientes, sed ferarum lustra & condensa silvarum interrumpentes, non in die statuto sed in sancti Laurencii sacro sancto die quasi sorices de latibulis emerserunt, totaliterque non humana sed divina manu perierunt. Gloriosus Deus in suis sanctis, venerabilis enim sancti Laurencii dies existebat, & in illa hora Christianorum concio de missarum solemniis exibat, & ecce subito Barbarorum exercitus ibi cominus imminebat. Martir Laurenti populo succurre merenti! Quid plura? quid faciant Christiani? quo se vertant? exercitus hostium improvisus, acies ordinandi non tempus, ipsi pauci, hostes multi, fuga tarda, nunquam placita Boleslao. Martir Laurenti populo vim tolle furenti! Igitur militibus quotquot erant tamen in duobus agminibus ordinatis alterum agmen rexit ipse belliger Boleslaus, alterum vero ejus signifer Scarbimirus, ceterum a multitudine alii pabulum equorum, alii victualia queritabant, alii vero vias & tramites & adventum hostium observabant. Nec mora, impiger Boleslaus adducit agmina sic verbis paucissimis commonendo. Vestra probitas & imminentis periculi necessitas, amorque patrie magis quam oracio mea vos invictissimi juvenes exhortentur, hodie Deo favente sanctoque Laurencio deprecante, Pomoranorum idololatria ac militaris superbia nostris ensibus conteretur. Nec plura locutus cepit hostes in circuitu transgirare, quia sic in terra hastas suas versis cuspidibus in hostes affixerant, se se simul constipaverant, quod nullus poterat ad eos virtute nisi cum jactura penetrare. Erant enim ut dictum est superius pedites fere cuncti, nec ad prelium more Christianorum ordinati, sed sicut lupi insidiantes ovibus in terram poplitibus recurvati, cumque magis impiger Boleslaus circumquaque volitare videretur quam currere, transversis in eum hostibus, Scarbimirus intrandi locum inveniens ex adverso non differt in cuneos diucius confertissimos penetrare, penetratis itaque barbaris ac vallatis, ipsi in primis resistebant, sed coacti fugam tandem petunt, de Christianis ibi probi milites cadunt, paganorum vero de XL millibus decem millia vix evadunt. Testor deum, ope cujus, sanctumque Laurencium, prece cujus facta fuit ista cedes, amirabantur qui aderant, quod tam subito a militibus minus mille peracta fuit tanta strages. Dicunt enim ipsi Pomorani certo numero computasse de suis ibi XXVII millia corruisse, quot in paludibus interiissent, nec illi quidem sic evadere potuissent, oppidani vero videntes se totam sic spem amisisse, nec auxilium aliunde vel a quolibet expectare, civitatem vita donata reddiderunt, audientes autem hec de sex aliis castellis quidam ibidem consilium injierunt se ipsos videlicet municionesque tradiderunt.

Epistola Imperatoris ad Regem Boleslaum.

Cum hec ita geruntur, Henricus Imperator quartus Rome nondum coronatus, secundo quidem anno coronandus, cum verbis hujuscemodi Boleslao legacionem premisit, cum exercitu violento modo Poloniam invasurus, dicens: indignum est Imperatori, legibusque romanis prohibitum, fines hostis persertimque sui militis hostiliter introire, quam eum sciscitari de pace, si voluerit obedire, vel de bello si restiterit, ut se valeat premunire, quapropter aut oportet te fratrem tuum in regni medietatem recipere, mihique CCC marcas annuatim tributarias vel totidem milites in expedicionem dare, vel mecum si vales ense Polonorum regnum dividere. Ad hec Boleslaus Dux septentrionalis respondit: si pecuniam nostram vel Polonos milites pro tributo requiris, si libertatem nostram non defendimus, pro feminis nos habeas non pro viris, hominem vero sediciosum recipere vel unum cum eo regnum dividere, non me coget ullius violencia potestatis, nisi meorum commune consilium & arbitrium mee proprie voluntatis, quod si bonitate non ferocitate pecuniam vel milites in auxilium romane ecclesie postulasses, non minus consilii quam auxilii forsan apud nos, quam tui antecessores apud nostros inpetrares, ergo provideas cui minaris, invenies bellum si bellum vis. Ex qua responsione Cesar pernimium ad iracundiam provocatus &c. Zbignens quoque ex hoc iratum Cesarem multo magis incitabat, quia paucos de Polonis sibi resistere promittebat. Insuper eciam Bohemi vivere predis & rapinis assveti, Cesarem Poloniam intrare animabant. Cesar ergo talibus monitis & consiliis superatus Poloniam in spem ductus ingrediens Bytomque perveniens in his omnibus est seductas, Zbigneumque Cesar iratus cum verbis indignacionis respexit, quod castrum Bytom sic armatum sic munitum aspexit. Zbignee inquit Cesar Zbignee, sic te Poloni pro domino regni cognoscunt, sic fratrem tuum relinqvunt, & tuum dominium sic deposcunt, cumque castrum Bytom municione situque nature & aquarum circuicione inexpugnabile preterire voluisset, cum aciebus ordinatis quidam de suis famosi milites ad castrum declinaverunt, volentes in Poloniam suam miliciam comprobare, viresque & audaciam Polonorum experiri. At contra castellani portis apertis & extractis ensibus exierunt, nec multitudinem tam diversarum gencium nec impetum Alemannorum nec presenciam Cesaris metuentes, sed in frontibus eis audacter & viriliter resistentes, quod considerans Imperator vehementer est miratus, homines nudos contra clipeatos, contra loricatos nudis ensibus decertare & tam alacriter ad pugnam velut ad epulas properare. Tunc quasi suorum presumcioni militum indignans, suos sagittarios & balistarios illuc misit, quorum terrori castellani saltem sic cederent, at Poloni pila vel

sagit-

ſagittas que undique volitabant, quaſi nivem vel guttas pluvie computabant. Ibi vero Ceſar primum Polonorum comprobavit audaciam, quia cunctos ſuos inde non revocavit incolumes. Nunc autem paullisper Ceſarem ſpaciari per ſilvas Polonie permittamus, donec draconem flammivomum de Pomorania reducamus.

Igitur impiger Boleslaus in Pomorania ſuperato prelio ſupradicto, ſeptemque caſtellis acquiſitis, audito pro certo quod Ceſar Poloniam introiſſet, viris & equis obſeſſione diutina fatigatis, quibusdam militum interemtis, quibusdam eciam ſauciatis aliisque domum cum eis dimiſſis, cum quibus potuit equitavit & obſtruere tranſitus & vada fluminis Oder modis omnibus demandavit. Obſtruſa ſunt itaque loca quousque poterant vel flumine ſicco transvadari vel ſi quando poterant ab ipſis incolis occulta forſitan attentari, quosdam eciam probos milites ad Glogow & ad tranſitus fluminis obſervandos premiſit, qui Ceſari tamdiu reſiſterent, donec ipſo occurrente ſuper ripam fluminis aut omnino victoriam obtinerent, aut ſaltem ibi eum detinendo exercitum & auxilium expectarent. Ibi vero Boleslaus non longe remotus a Glogow cum exercitu parvo ſtabat, neque mirum quia ſuos diutiſſime fatigaverat. Ibi rumores & legaciones audiebat, ibi ſuum exercitum expectabat, inde exploratores huc illucque transmittebat, inde Camerarios pro ſuis & pro Ruthenis & Pannonicis delegabat.

Ceſar autem iter faciens, non ſurſum ſive deorſum vada tentando declinavit, ſed juxta civitatem Glogow cum impetu per locum ineſtimabilem nullo prius ibi tranſitum faciente vel preſciente, nulloque ſibi reſiſtente, cum denſis agminibus & armatis non preparatis civibus transvadavit per illum locum, nunquam caſtellanis dubitantibns nec ſperantibus dubitandum. Erat enim ſancti Bartholomei dies apoſtoli feſtus, quando Ceſar fluvium tranſibat, & tunc totus civitatis populus divinum officium audiebat, unde conſtat quia ſecurus & ſine periculo tranſivit, predamque multam & homines & eciam tentoria circa oppidum acquiſivit, eorum quoque plurimi qui caſtrum defendere venerant & extra caſtrum in tentoriis reſidebant, a Ceſare in caſtrum intrare ſunt prohibiti, quidam ibi ſubito detenti, quidam vero fuga ſubveniente liberati, quorum unus fugiens Boleslao obviavit, qui cuncta que contigerant enarravit. Tunc vero Boleslaus non ſicut lepus formidoloſus evanuit, ſed ſuos ſicut miles animoſus admonuit. O fortiſſimi milites, inquiens, in multis mecum bellis & expedicionibus fatigati, nunc quoque mecum eſtote pro libertate Polonie vel mori vel vivere preparati. Ego quidem cum tam parva manu prelium contra Ceſarem libens inirem, ſi ſcirem pro certo quod eciam ibi me moriente diſcrimen patrie diffinirem, ſed quoniam ad unum de noſtris reſtant hoſtibus plusquam certum, hic eſt honeſtius reſiſtendum, quam illuc cum paucis eundo preſumptuoſe moriendum, hic enim nobis reſiſtentibus eisque tranſitum prohibentibus, ſatis pro victoria reputabitur. Hec dixit & ripam ſuper quam ſtabat arboribus ceſis obſtruere cepit.

Interim

Interim vero Ceſar a Glogovienſibus obſides eum condicione ſub jurejurando accepit, quod ſi pacem vel aliquam paccionem infra ſpacium quinque dierum miſſa legacione cives efficerent, reddita reſponſione, cum pace compoſita vel prohibita, cives tamen ſuos obſides rehaberent, & hoc utique per ingenium factum fuit. Ceſar utique ob hoc obſides cum juramento recepit, quia per eos civitatem licet cum perjurio conſequi ſe reputavit, ob hoc Glogovienſes illos obſides poſuerunt, quia loca civitatis interim vetuſtate conſumpta munierunt.

Et Boleslaus audita legacione de datis obſidibus indignatus, crucem civibus ſi per ipſos caſtrum reddiderint, eſt minatus, adjiciens: eſſe melius & honeſtius & cives & obſides gladio pro patria morituros, quam facta dedicione vitam inhoneſtam redimentes alienis gentibus ſervituros. Recepta reverſione cives Boleslaum pacem ſic fieri nolle referunt, obſidesque ſuos ſicut juraverant requirunt. Ad hec Ceſar reſpondit: Obſides quidem ſi mihi caſtrum reddideritis non tenebo, ſed ſi rebelles fueritis & vos & obſides jugulabo. Contra caſtellani: Tu quidem in obſidibus & perjurium & homicidium poteris perpetrare, ſed per ipſos que requiris ſcias te nullatenus impetrare.

His dictis Ceſar inſtrumenta fieri, arma capi, legiones dividi, civitatem vallari, ſigniferos tuba canere precepit, & urbem undique ferro, flamma, machinis oppugnare cepit, contra cives ſe ipſos per portas & turres dividunt, propugnacula muniunt, inſtrumenta parant, lapides & aquam ſuper portas & turres comportant. Tunc Imperator civium animos pietate filiorum & amicorum exiſtimans flecti, precepit nobiliores ex obſidibus ipſius civitatis & filium Comitis ſuper machinas colligari, ſic reputans ſibi ſine ſangvine civitatem aperiri. At caſtellani non plus filiis vel propinqvis quam Bohemis vel Allemannis parcebant, ſed eos abſcedere a muro lapidibus vel armis coërcebant. Videns autem Imperator quod tali ingenio nunquam civitatem ſuperaret, nec unquam a propoſito civium animos revocaret, viribus & armis obtinere nititur, quod ingenio denegatur. Igitur undique caſtrum appetitur & clamor ingens inter utrosque attollitur. Teutonici caſtrum impetunt, Poloni ſeſe defendunt, undique tormenta moles emittunt, baliſte crepant, tela & ſagitte per aërem volant, clipei perforantur, lorice perpenetrantur, caſſides quaciuntur, mortui corruunt, vulnerati cedunt eorumque loco ſani ſuccedunt. Teutonici baliſtas intorquebant, Poloni tormenta cum baliſtis; Teutonici ſagittas, Poloni jacula cum ſagittis; Teutonici fundas cum lapidibus rotabant, Poloni lapides molares cum ſudibus preacutis; Teutonici trabibus protecti murum ſubruere tentabant, Poloni vero ignem comburentem aquamque ferventem ipſis prebebant nec temperabant; Teutonici arietes ferreos turribus ſubducebant, Poloni vero calliberetas ſtellatas evolvebant; Teutonici ſcalis erectis ſuperius aſcendebant, Poloni cum uncis ferreis affixos eos in area ſuſpendebant.

Interea Boleslaus die nocteque non ceſſabat, ſed quandoque de

caſtris

caſtris exeuntes pro victualibus agitabat, frequenter eciam ipſius caſtra Ceſaris territabat, modo huc modo illuc predatoribus vel combuſtoribus inſidiando curſitabat. Talibus ergo modis Ceſar multisque diebus civitatem nitebatur capere, nec aliud quam carnem humanam ſuorum recentem lucrabatur. Cottidie namque ibi viri nobiles perimebantur, qui viſceribus extractis, ſale vel aromatibus conditi in Bajoariam ad Imperatorem, vel Saxoniam portandi pro tributo Polono curribus onuſtis ſervabantur.

Cumque vidiſſet Ceſar, quia non armis, nec minis, nec muneribus, nec promiſſis cives flectere, neque diucius ibi ſtando quidquam ibi perficere potuiſſet, conſilio inito contra Wratislavienſem urbem caſtra movit, ibi quoque vires Boleslai & ingenium recognovit. Nam quocunque Ceſar ſe vertebat vel ubicunque caſtra vel ſtaciones faciebat, Boleslaus quoque quamquam poſterius incedebat, ſemperque vicinus ſtacioni Ceſaris perſiſtebat. Cumque Ceſar iter faciens ſua caſtra dimovebat, Boleslaus quoque comes itineris exiſtebat, & ſi quisquam de ordinibus exibat, redeundi memoriam ſtatim amittebat, & ſi quoque plures victualia vel pabulum equorum querentes freti multitudine a caſtris longius procedebant, inter eos & exercitum Boleslaus ſe ſtatim medium opponebat, & ſic predam cupientes ipſi quoque Boleslai preda fiebant. Unde talem & tantum exercitum ad tantum pavorem redegerat, quod eciam ipſos Bohemos naturaliter raptores vel ſua manducare vel jejunare coëgerat. Nullus enim exire de caſtris audebat, nullus armiger herbam colligere, nullus eciam ad ventrem purgandum ultra conſtitutas cuſtodum acies prodire preſumebat, die nocteque Boleslaus timebatur, ab omnibus in memoria habebatur, Boleslaus non dormiens vocabatur, ſi ſilvula ſi frucetum cave tibi, ibi latitat, clamabatur, non erat locus ubi non putaretur Boleslaus. Taliter eos aſſidue fatigabat, quandoque de capite, quandoque de cauda, ſicut lupus aliquos rapiebat, aliquando vero a lateribus inſiſtebat, ſicque milites armati cottidie procedebant & aſſidue Boleslaum quaſi preſentem expectabant. In nocte quoque cuncti loricati dormiebant vel in ſtacionibus reſiſtebant. Alii vigilias faciebant, alii caſtra nocte continua circuibant, alii vigilate, cuſtodite, clamabant, alii cantilenas de Boleslai probitate cantabant, hoc modo.

Boleslae, Boleslae, Dux glorioſiſſime, cum defendis terram tuam quam ſtudioſiſſime, tu non dormis nec permittis nos dormire paululum, nec per diem nec per noctem neque per diluculum, & cum nos te putemus de terra propellere, tu nos tenes ita quaſi concluſos in carcere. Talis princeps debet regnum atque terram regere, qui cum paucis tot & tantos ita ſcit corrigere, qui forte ſi ſimul omnes ſuos congregavit, nunquam Ceſar ſibi bello reſiſtere poterit. Talem virum condeceret regnum & imperium, qui cum paucis ſic domabat tot catervas hoſtium & cum nondum recreatus ſit de Pomorania, ſic per eum fatigatur noſtra nunc audacia. Et cum illi cum triumpho ſit eundum obviam, nunc econtra cogitamus expugnare patriam, ipſe quidem cum

cum paganis bella gerit licita, ſed nos contra Chriſtianos gerimus illicita. Unde Deus eſt cum eo faciens victoriam, nobis vero juſte reddit illatam injuriam.

Quidam vero viri nobiles & diſcreti hoc audientes mirabantur inter ſe, dicentes niſi Deus hunc hominem adjuvaret, nunquam de paganis tantam victoriam ei daret, neque nobis ita viriliter contraſtaret, & ni Deus ita eum potencialiter exaltaret, nunquam eum noſter populus ſic laudaret. Sed Deus ſecreto forſan conſilio hoc agebat, qui laudes Ceſaris ad Boleslaum transferebat. Vox enim populi ſemper ſolet voci dominice convenire, conſtatque Dei voluntati populum cantantem obedire. Ceſari vero cantilena populi diſplicebat eamque cantari ſepiſſime prohibebat, ſed eo magis ad tantam procacitatem populum permovebat. Ceſar vero exemplis & operibus recognoſcens quod fruſtra laborando populum affligebat nec divine voluntati reſiſtere valebat, aliud ſecretius cogitavit, & aliud ſe facturum ſimulavit. Perpendebat itaque quia tantus populus ſine preda vivere nequibat & quia Boleslaus aſſidue ſicut Leo rugiens circuibat, equi moriebantur, viri vigiliis, labore, fame cruciabantur, ſilve condenſe, paludes tenaces, muſce pungentes, ſagitte acute, ruſtici mordaces compleri propoſitum non ſinebant, unde ſe Cracow ſimulans ire velle, legatos Boleslao de pace miſit, & pecuniam non tantam nec tam ſuperbe ſicut prius queſierat in hec verba.

Epiſtola Ceſaris ad Regem Polonicum Boleslaum.

Ceſar Boleslao Duci Polonie graciam & ſalutem. Tua probitate comperta meorum principum conſiliis acquieſco & CCC marcas recipiens hinc pacifice remeabo. Hoc Boleslaus Dux ſeptentrionalis remandavit Ceſari. Boleslaus Dux Polonorum pacem quidem vult, ſed non in ſpe denariorum, veſtre quidem Ceſaree poteſtatis ire conſiſtit vel redire, ſed pro timore vel condicione mihi ſatis ſufficit ad honorem, ſi pacem habuerimus & amorem. Sin autem hoc tibi non placuerit me poteris citius &c. Nec unum quidem poteris obulum invenire. Malo enim ad horam regni Polonie libertatem perdere, quam ſemper pacifice cum infamia retinere.

His auditis Ceſar urbem Wratislavienſem adivit, ubi nihil niſi de vivis mortuos acquiſivit, cumque diucius ire ſe Cracow ſimulando huc illucque circa fluvium iter continuaret, & Boleslao ſic timorem incutere & ejus animum revocare cogitaret, Boleslaus imo nihil omnino diffidebat, nec aliud legatis quam ſuperius reſpondebat. Videns ergo Ceſar diu ſtando ſibi pocius damnum & dedecus, quam honorem & proficuum imminere, diſpoſuit pro tributo nihil portans niſi cadavera ſe redire, unde quia prius ſuperbe magnam pecuniam requiſivit, ad extremum pauca querens neque denarium acquiſivit & quia ſuperbe libertatem antiquam Polonie ſubigere cogitavit, juſtus Iudex illud conſilium fatuavit, quia Ceſar cum ſatis copioſa confuſione ad propria remeavit.

Iste Boleslaus cognominatus est Krzywousty, qui post bellum quod habuit cum Henrico Cesare, postea cum Bohemis, Pomoranis & Ruthenis multa bella prospere gessit atque gloriosus triumphavit.

ANONYMI
RERUM AB A. 1330. AD A. 1424. GESTARUM
HISTORIA.

Anno Domini MCCCXXX. quidam miles nomine Felicuvius nacione Ungarus, feria tercia post conductum pasche irruit in Regem Carolum, volens ipsum cum uxore sua nomine Elizabeth, que fuit Wladislai dictiLoctec Regis Polonie filia & cum filiis trucidare, & amputans manum Regine dextram & ipsum Regem graviter ad manum vulnerans, solus miserabiliter ibidem concisus occubuit, pro quo scelere suus filius & filia & omnis totaliter parentela fuit miserabiliter trucidata.

Eodem anno exeuntes cruciferi cremaverunt castrum Wyszegrod in Cuyavia, multis nobilibus ibidem occisis, sed non sine magno detrimento suorum, nam pro quolibet capite nostrorum bene de ipsis VIII vel IX ceciderunt. Ipso in tempore cremaverunt castrum Nakel & acquisiverunt Radcząsz, eciam ipsorum castrum Radzeyow per nostros fuit crematum, & quia nullus fuit rebellans, quamvis multa damna in hominibus percepissent, tum cum victoria & prosperitate ad propria sunt reversi. In vulgo autem maximam sangvinis effusionem fecerunt, nam virum & mulierem, invenem & senem, pugnantes & vagantes, clericos & sacerdotes, omnes quos invenire poterant extinxerunt. Rex igitur Polonie Wladislaus, dictus Loctec videns tantam afflictionem sue gentis, congregata milicia tocius Polonie & auxiliariis de Ungaria prope X millibus & aliis stipendiariis non paucis, venit tempore autumnali usque ad fluvium Drawanczam, illis ex alia parte fluminis consistentibus cum suo toto robore & obsistentibus & cum pluribus diebus quocunque nostri, illi ex altera parte contra nostros transierunt, & maxime in illis locis ubi vada erant, alias enim totum fluvium truncis exigonis & falcibus impleverant. Ad hec unius hominis simplicis vadum ostendentis consilium rex dimissis in latibulis prope duobus millibus expeditorum simulavit se prope Brodniczam cum toto exercitu velle pertransire, ubi ipsi barbati omnes insimul contra Regem convenerunt. Insidie igitur Regis fluvium transmeantes signum ostenderunt. Rex igitur qui ad tria bene milliaria erat a loco, concito gradu suo cum exercitu fluvium pertransivit & conflictum cum suis avidius expectavit. Illi autem videntes quia virtuti Regis occurrere non valebant, in municionibus se clauserunt & per fraudatores nostros agentes num potuissent tunc totam terram obtinere Dobrzinensem, terram & castrum & aliud castrum Bydgoszca sibi resignantes, datis sibi & suorum civitatum civium literis, super duos arbitros videlicet Regem Ungarie ex parte no-

stra & Regem Bohemie ex parte ipsorum negocium dimiserunt & acceptis treugis a festo sancti Luce Evangeliste usque ad festum sancte Trinitatis, Rex noster cum Rege Ungarie comparuit, & ipsi in termino nec Regem Bohemie adduxerunt, nec soli comparuerunt & sic per fas & nefas Regem Polonie de terra exegerunt, qui in eorum terra fere ad XX dies stetit & fere annihilata terra cum suis ad propria est reversus. Fertur autem quod in suo exercitu duo millia & centum galeatos habuit, aliorum eque armatorum prope XX millia, sagittariorum & aliorum fere XXX millia, itaque secundum veri relacionem exercitus polonicus estimatus fuit plusquam LII millia. Hic Rex Wladislaus faciens colloquium in festo sancte Trinitatis in Chaczin, filio suo Casimiro, qui duxerat filiam Gedimini Ducis Lithuanorum, majorem Poloniam, Cuyaviam, Syradiam tradidit possidendam, interminans sibi & inculcans ut sicut ipse ita ille gades regni reformare debeat. Hic Cazimirus veniens in Poloniam fuit fere a possessione per quendam Vincencium Palatinum Poznaniensem, quem pater ejus prefecerat eisdem terris, preter Syradiam, impeditus, & nisi milites & civitatum cives fuissent, terram a Rege & a filio suo voluit alienare. Predictus igitur Vincencius regni pessimus defraudator & gentis, & impaciens hujus alienacionis, circa festum Beate Marie Magdalene callide & occulte Cruciferos adduxit, qui fere Cuyaviam & Wladislaw civitatem ceperant, nisi auxiliante Deo & propugnancium virtute fuisset defensata, ubi ipsi barbati fere ducentos homines amiserunt, tandem a civitate cum damno discesserunt. Supradictus igitur Vincencius ipsos barbatos caute in Poloniam duxit, qui Slupezam civitatem captam devastantes in Pisdri ubi tum temporis fuerat Cazimirus venire festinabant, ipsum preoccupare cupientes, sed Deo volente a civitate discesserat, quam eciam tunc per fraudem & negligenciam fidelium civium capientes, & pluribus occisis & cremata civitate, cum fratrum Monasterio, & pervagantes totam pene ex illa parte Warthe terram vastant civitatibus forensibus municiunculis igne penitus concrematis nullo obstante, Vincencio pessimo fraudatore id agente, quamvis cum magno damno suorum, cum ingenti preda in Thoruyn sunt reversi, & non post multum tempus congregato exercitu copioso & stipendariis de Reno & aliis partibus Allemannorum quam plurimis, Lanciciam advenerunt, quam devastantes Syradiam ingressi Unyeyow civitatem & castrum & aliud castrum Szyradz & alias civitates cremantes, in Calis pervenerunt, quam duobus diebus oppugnantes & nihil proficientes, XL & pene plus de suis amissis in Thoruyn redierunt ubi eciam XX expeditorum amiserunt. Rex namque Polonicus Wladislaus, quamvis ipsis circa Lanciciam occurisset, tamen eos invadere non audebat, quia ipsum & in numero & in fortitudine quam plurimum excedebant, sed de Lancicia ad unum vel duo milliaria semper ipsos sequebatur eorum debilitans vestigia, ubi eciam prefatum Vincencium de quo memoravimus per literas patentes advocans ipsum sibi & filio reconciliavit, qui Vincencius volens nomen pordere infidelitatis, ipsos barbatos & eorum exercitum exploravit sagaciter, & quamvis plures ipsos cognosceret & forciores, ne metum Polonis & Cracoviensibus & Sandomiriensibus & aliis incuteret, ipsos igitur nullos

esse & nihil posse proficere affirmavit, quamvis Reges auribus aliud inculcare non obmisit. Veniens igitur Rex in Cuyaviam, post eos circa Plowcze villam ultra Radzeyow sitam, Deo & beatis Martiribus Alberto & Stanislao se & suos recommendans, & translacione ejusdem sancti Stanislai cum ipsis conflixit, & Deo & sanctis pontificibus atque Martiribus supradictis ipsum adjuvantibus, tanta fuit in eos cede debachatus & XX millia de ipsis prostravit, ut ipsemet Rex fateretur & omnes alii inter quos 700 barbati 900 galeati 600 ipsorum auxiliarii ceciderunt ex quibus alii barbati, alii stipendiarii de remotis partibus, alii Pomorani, Porussi & eorum nobiles terrigene capti, inter quos quidam nobilis princeps nomine Rus in habitu eorum, ad quem tota vis belli & illius expedicionis pertinebat, fuit captus, & in Cracoviam ad quam cum exercitu venire conabatur, est deductus & in vincula totaliter est conjectus. Acta sunt hec anno Domini MCCCXXX primo.

Igitur ut ab omnibus communiter qui prelio interfuerunt affirmatur, si plures de venientibus a prelio & de prelio non fuissent, de illorum prope XL millium numerosa multitudine nullus pene aufugisset. Sepe dictus enim Vincencius ut totam opinionem omnis fraudis quam penes eum autumabant, nec non ut totam suspicionem tolleret, ipse bellum cum suis inchoavit, viriliter pugnavit & cum domino Rege & sui regni nobilibus fortiter decertans victoriose triumphum glorie de barbatis & eorum auxiliariis feliciter reportavit. Ambiguum igitur penes multos est, quod dictus Vincencius tantam fraudem & tam crudelem cladem sue genti fuisset molitus, cum in tam arduo negocio & necessario valde regno Polonie tantam gloriam duraturam perpetuum acquisivit. Nec hoc pretereundum est, quasi de non modico miraculo, quod cum tot de illis ruerint, de Polonis solum XII nobiles & de simplicibus prope XXX viri ceciderunt, ut limpide agnoscamus, Deum cum suis sanctis pro ipsis pugnasse, ut in tanti prodigii monimentum a Polonica gente Deus sine intermissione in perpetuum collaudetur. Ipso igitur tempore audita strage barbatorum, circa festum beati Michaelis Archangeli una manu forti venit Poznaniam Rex Bohemie Johannes & oppugnavit eam cum machinis & fossoribus, sed militibus & civibus fortiter repugnantibus, 700 homines de suis perdens & plures de fossoribus amittens, machinas derelinquens, confusus cum magna tristicia Wratislaviam repedavit, sustinens damnum XX millium marcarum.

Anno Domini 1332. exeuntes cruciferi in cena Domini vallaverunt civitatem Biczesczcze, quam impugnantes quatuor diebus cum machinis & aliis instrumentis, eo quod pauci milites essent in ea, ipsam per tradicionem aliquorum civium, septimo die obtinuerunt & Wladislavia junior sponte se subdidit eis. Milites igitur cum uxoribus & pueris ultro exulantes preter Albertum Palatinum dictum Koszczelecz, qui in castro dicto Pakosczi se cum suis recepit & dictis cruciferis se viriliter resistendo opposuit: alii omnes in Cracoviam ad Regem se contulerunt. Eodem anno circa festum beati Johannis Baptiste, Vincencius Palatinus inopinabiliter telo percussus interiit. Rex autem Wladislaus circa assumpcionem virginis gloriose iterum contra cruciferos est profectus, & quia fraudatores nusquam desunt, nihil circa ipsos valens proficere, treugas usque ad festum pentecostes interim consiliandi & de negocio colloquendi cum ipsis accipiens, in Poloniam majorem remeavit, ubi fugitivos Duces Polonie regno incubantes aggrediens, decem & eo amplius ipsorum fortalicia concremavit & destruxit, Cosczczam castrum quod plus genti Polonice imminebat cum exercitu vallans. Hi autem qui erant in castro conclusi de loci firmitate & virtute animorum confisi, non solum pacem non recipere sed rebellare fortiter contendebant, quod videns filius Regis excellentissimus Cazimirus, cum Ungaris & suis facto impetu castrum est aggressus & acquirens potenter, prope C homines ibidem interemit preter quos erant galeati, alii Szlesite, alii Bohemi alii Allemanni, multi nobiles viri, quorum nullum Dux Cazimirus permisit vivere, & sic pacato regno in Cracoviam rediit cum triumpho.

Mors Lokethkonis.

Heu tandem Wladislaus Rex Polonie dictus Lokethk eximius post multos agones, quibus contra hostes gentis Polonice viriliter decertavit, post multa certamina, victorias & triumphos de adversariis pro placito sumptos, pro voto adhuc viribus pollens anno etatis LXXIII. dominice autem incarnacionis 1333. in magnam tocius Polonie desolacionem & tristiciam gentis decubuit, & cum se jam moriturum persensisset, fratri Helye ordinis fratrum predicatorum, viro conversacionis laudabilis & in omni honestate comprobato, qui super ipsum de omnibus suis delictis Domini Pape dispensandi & absolvendi plenam & omnimodam habebat autoritatem, humiliter extitit magna cordis cum contricione confessus, quem post hoc Spicimirus Castellanus & Jaroslaus Archidiaconus Cracoviensis, qui tunc infirmitati sue preerant, non sine magno fletu allocuti fuerunt hoc modo: Domine Rex, tu tuos nobiles, divites & pauperes, insignes & parvos, superbos & humiles, senes & juvenes, & quemlibet in statu suo sine molestacione qualibet in bonis & juribus ipsorum vite tue temporibus decentissime confovebas: Ipsi te exigentibus tue gracie & benignitatis meritis, usque ad eadem tempora cum bonis & corporibus eorum nullatanus deserebant. Exhortare ergo eosdem nobiles tuos, ut filium tuum Cazimirum quem in successorem tuum & regni dimittis, dileccione & favore prosequantur. Qui licet jam quasi in virtute lingve & sermonis deficiens eosdem Spicimirum & Jaroslaum & alios circumstantes curialiter est affatus: O viri mihi & proli mee magni fautores, utinam filius meus exemplo meo vobiscum taliter conversaretur, crederem utique quod eum sicut mihi fecistis, diligeretis, attamen si secus fuerit quod absit, hunc vestre industrie & fidelitati, quam semper erga me habuistis fiducialiter recommendo, sed quid pro ipso jam petam ignorans, de suo statu futuro vobiscum non faciam verba ista vice, & hoc dicens, filio suo Cazimiro ibidem presenti nobiles suos universaliter & omnimodum fidelitatem recommendans obdormivit in Domino. Sic illud fulgentissimum sydus mortis caligine obumbratum magnum chaos errorum & licium reliquisset, nisi supernus

Tytan de radio a tanto ſydere Polonice genti ſalubriter providiſſet. Nam ſuperſtitem poſt ſe filium Cazimirum nomine dereliquit. Iſte Wladiſlaus, filius fuit Ducis Cazimiri terrarum Cuyavie, Syradie & Lancicie, cui Wladiſlao inter ſuos fratres terra in Cuyavie ſorte obvenerat. H c Ducis Wladiſlai Caliſienſis filiam nomine Hedwigim in uxorem accipiens, poſt mortem Ducis & eciam heredum majoris Polonie dominium ibidem eſt aſſecutus, quod & multis tenuit annis. Tandem fraude nobilium Polonie agente per Regem Bohemie Venceslaum non ſolum de Polonia & Pomorania ſed eciam de ſua ſorte & Syradia & Lancicia, que ſibi poſt ſuorum fratrum obitum obvenerant, nec uno ſibi relicto, fuit turpiter & fraudulenter ejectus. Sic itaque terris orbatus quamvis multorum amicorum auxilium poſtulans eos adiſſet, vanis promiſſis ipſum decipientes inanem & ſpe vacuum per multa temporis curricula toto orbe inſtabilem divagari permiſerunt, qui videns ſe a ſuis omnimode deſtitutum, cum paucis ſequacibus in Ungariam ad Amadeum quendam virum nobilem & potentem ſeceſſit, cujus auxilio ſed magis divino, Cracoviam & Sendomiriam terras & alias omnes quas ſupra memoravimus, viriliter debellans obtinuit, Bohemos qui XVIII. annis eas tenuerant potenter evellens & ejiciens nunquam illuc poſtea reverſuros, tandem per dominum Gerwardum Epiſcopum Cuyavienſem impetrata corona regni apud Dominum Johannem Papam XXII, qua etatis ſue anno LX cum ſua conſorte Hedwige eſt coronatus in Cracovia, per dominum Janislaum Archiepiſcopum Gneznenſem & multos alios Epiſcopos, anno Domini 1320. & eandem coronam filio ſuo Cazimiro & ejus ſucceſſoribus feliciter dereliquit. Hic Wladislaus inter virtutum inſignia tribus ultra humanam eſtimacionem effloruit luculenter, videlicet in inſigni pietate, quia non coactus aliquem morti tradi juſſit, in ineſtimabili humilitate, ut quid eſſet faſtus aut ſuperbia penitus ignoraret, in indicibili paciencia, nam vindex eſſe non potuit, imo ſe injuriantibus humanisſimum exhibuit ſemper, hilarem ipſis faciem preoſtendens, quem Deus omnipotens poſt mortem hoc munere predonavit, nam cum funus ejus multis diebus jacuiſſet inhumatum, ſemper tamen ejus facies acſi viventis incolumis apparebat.

Cazimirus igitur filius ſuſcepto regno ad inſtinctum & preceptum Caroli Regis Ungarie generi ſui acceleravit coronari, videlicet per Dominum Janislaum Archiepiſcopum Gneznenſem, eodem anno Domini 1333. poſt mortem patris in die beati Marci Evangeliſte in Cracovia cum magna ſolemnitate extitit coronatus. Coronatus autem ſtatim in maleficos tantum deſevit, ut in modico tempore multos eorum delevit, dans metum pluribus, ut ſe a furtis & latrociniis cohiberent. Unde factum eſt, quod omnes qui furtis & latrociniis inſerviebant aut interceſſione Baronum ad manſvetudinem ſunt reducti aut ſtatim ad mortem fuerunt perpetuo deputati. Anno Domini 1338. obiit Anna filia Gedemini Ducis Lithuanorum uxor Cazimiri, IIII. Cal. Julii. Hec tantum ſolaciis, choreis & leticie dedita fuit, ut quocunque equo vel curru ibat, ſemper ante ipſam cum ſambucis & tympanis & fialis & cantilenis & diverſis melodiis ibant canentes ſatis, multorum in ſcandalum: hinc

eſt

eſt quod ſatis portento & terribili fato ex hac vita deceſſit, tamen occulte religioſos & pauperes multum ſupportabat. Anno Domini 1340. Boleslaus Troydeni Dux Mazovienſis, princeps Ruthenorum, a ſuis propinato veneno circa feſtum annunciacionis beate Marie ex hac luce migravit. Hic dicitur ſuis fuiſſe multum violentus ipſos capiens & pecuniam ab eis extorquens, filias eorum & uxores rapiens, eaſdem dehoneſtans, nec non & alias gentes ſicut Bohemos & Allemannos ſuper ipſos inducens, unde videtur quod compulſi tot injuriis talem ſibi mortem propinaverunt. Audiens Rex Polonie eximius Cazimirus, quod ita vita deceſſiſſet, Ruſſiam circa feſtum paſche in parvo numero intrans, Chriſtianos & mercatores qui ſe in caſtrum Lywow receperant, caſtro cremato cum uxoribus eorum & pueris & rebus eorum usque in regnum ſuum deduxit, ubi ſpolia multa in argento, auro & gemmis, theſaurum multum nimis Principum antiquorum tollens, inter que erant aliquot cruces auree, in una quarum erat magna pars de ligno Domini, ſancte videlicet crucis Domini, & duo precioſiſſima dyademata & una tunica valde precioſa, nec non & ſella auro & gemmis adornata, his omnibus ſublatis ad propria eſt reverſus. Eodem anno circa feſtum beati Johannis Baptiſte idem Rex Cazimirus congregans exercitum validum prope XX millium iterum Ruſſiam intravit, ubi caſtella & municiones ipſorum aliquot deſtruens, ipſos ſibi ſubjecit, & quamvis Tartarorum prope XL millia & Ruthenorum totidem fuiſſent congregati tamen multi ſunt interempti, videlicet per Mazovienſes & forte divino auxilio magis percuſſi fugam inierunt, & ſic Rex cum victoria & magna gloria propria eſt reverſus ſine omni leſione ſeu perdicione ſuorum nobilium. Tandem Anno Domini 1370. die beati Leonardi confeſſoris Rex Cazimirus pro terrenis celeſtia commutans diem concluſit extremum, cui ſucceſſit in regnum Lodowicus Rex Ungarie & regnavit ſuper duo regna Ungarie videlicet & Polonie XIII annis. Poſt hoc decidit in lectum & mortuus eſt, poſt cujus mortem tanta mala in Polonia ſunt exorta, ut vix ea calamus ſufficiat exarare. Erat namque tunc in Polonia majori quidam Capitaneus Damarathus nomine, hunc nobiles terre de capitaneatu volentes propellere multa ſibi prelia concitaverunt, cumque hoc nequirent efficere, in ſe ipſos converſi mutua ſe cede amaricabant, ſtrages hominum perplurimas faciendo, oppida ipſorum & villas atque municiones ceteras concremando, predasque innumerabiles abigendo & inutiliter diſtrahendo: tunc enim bos vel vacca pro duobus groſſis vendebatur, aries vel ovis ſive ecciam hircus aut certe capra pro tribus denariis tradebantur. Fuerunt autem hujus diſſenſionis ceteris truculenciores Wyerzbyuta de Smogulecz, Jacobus Cuſz de Golanza & alii, omnes poſſeſſores eorum caſtrorum que ſunt in graniciebus Saxonie, ut eſt Uſcie, Babimoſt, Zbyſzyn & alia multa. Sed & Bodzanta Archiepiſcopus Gneznenſis pugnabat atque arma ſumpſerat contra nobilem Nicolaum heredem de Venemy, judicem majoris Polonie generalem, per quod omnes ville Archiepiſcopales in diſtrictu Znenenſi fuerunt per ignem penitus deſertate. Habita autem eſt hujusmodi diſſenſio usque ad Wladislaum Regem, de quo nobis ſermo ſtatim in ſequentibus eſt habendus, tandem poſt mortem Lodowici quinque aut ſex annis evolutis.

Anno

Anno Domine 1386. poſtquam divine Majeſtati placuit finem imponere guerris & diſſenſionibus prenotatis, nobiles terre inſimul congregati certabant de negociis regni, ut pacificum & tranquillum permaneret. Nam ut breviter explicem, adductus fuerat in Poloniam de Bohemia Sigismundus frater uterinus Wenceslai Regis Bohemie. Iſte quia adoleſcens erat, & necdum regni negocia diſponere valeret, eadem facilitate rejectus quam receptus, qui tamen Sigismundus poſtea copulatus matrimonialiter Marie Regine Ungariam eſt adeptus & hucusque adhuc ſupereſt. Poſtmodum nobiles de Polonia Johannem Ducem Auſtrie in Poloniam acciverunt, volentes eum Regem conſtituere ut prefertur, qui quia puer erat & ut dicebatur ſtratum Hedwigis Regine Polonie pueriliter agens turpiter concacavit. Erat autem Hedwigis Regina Polonie ſoror uterina Marie Regine Ungarie, filie videlicet ambe Lodowici Regis Ungarie, qui fuit Cazimiri Regis Polonie nepos ex ſorore, Johannes igitur Dux Auſtrie de Polonia eſt ejectus. Igitur his duobus principibus in regnum Polonie non receptis, legati ſolemnes de Polonia miſſi in Lithuaniam, rogabant Yagilonem ſupremum Ducem Lithuanie ut regni ſuſciperet dyadema. Qui votis eorum annuens anno Domini ſupra ſcripto 1386. veniens in Cracoviam die beati Valentini presbyteri ſacrum baptismum ſuſcepit, & ex baptismo Wladislaus proprio nomine vocitatus, nam antea Yagilo Lithuanice vocabatur, hujus pater Helgorth vocatus qui habuit quatuor fratres Duces Lithuanie, quorum nomina habentur in verſu ſubſequenti: Helgorth Keiſtuthy, Lubarth, Patriky, Naramuthy. Sed Keiſtuthy Vytoldum & Coributh filios generavit, hunc quoque Ceiſtuthy patruum ſibi offenſum Wladislaus Rex Polonie in caloribus balnearibus ſuffocavit. Sed jam ad propoſitum redeamus, Wladislaus igitur ſacro ſuſcepto baptismate in continenti ibidem domine Hedwigi Regine Polonie eſt in facie Eccleſie matrimonialiter copulatus, & in Regem Polonie coronatus, poſt cujus coronacionem in Polonia ne unus quidem contra proximum ſuum auſus fuerat leviter vel mutire. Erat autem homo ſtatura brevis, animo miſericors, capitis calvicium quaſi per totum habens, oculis ſerenus & blandus, vox ejus & loquela quaſi vox tube groſſioris, ſemper pacem & tranquillitatem diligens. Nam ecce jam quadrageſimus primus regni ejus volvitur annus, in quo tempore cum nullo belligeravit homine, excepto prelio cum cruciferis ſubſequenti, omni tempore fuit ſobrius, quia nunquam aliquem potum inebriativum preter ſolam aquam ſolitus erat bibere, fuit & non mediocriter devotus, nam ſingulis feriis ſextis in pane ſolum & aqua conſveverat jejunare. Sed in hoc ſolo deſipuit, quia libertatem Eccleſiaſtice immunitatis infringens ſtaciones ab Archiepiſcopo & Epiſcopis extorquebat, nec non ab Abbatibus & prepoſitis monaſteriorum, ab aliquo monacho tres aut quatuor aut plures dies, ab Epiſcopis autem unam aut certe per duas ſeptimanas victualia reqvirebat, ſolitus autem erat habere in comitiva duo millia equorum cum ſeſſoribus ſuis plus vel minus, per quod largas expenſas una cum pabulis equorum, feno videlicet & avena, a monaſteriis exigebat, nullus autem ſe audebat ſibi opponere. Quo tempore ipſius nefandiſſima hereſis ſurrexit in Bohemia cognomine Huſſita-

tarum, nam anno Domini 1409. quidam Johannes cognomine Huſz de Huſzenice in Praga multos articulos hereſim ſapientes publice predicabat, quos conſcribere vel enarrare non eſt preſentis temporis, ipſe autem Johannes Huſz ad concilium Conſtancienſe perſonaliter evocatus, ibidem traditus propter hoc curie ſeculari, & ad quandam columnam alligatus flammis igneis eſt penitus conſummatus & nihilominus tota Bohemia nobiles videlicet & ignobiles & quedam civitates ſecte ipſius Joh. Huſz firmiter adheſerunt, propterea que Sigismundus Rex Ungarie volens de Bohemia hereſin extirpare, nam & ſibi regnum Bohemie poſt obitum fratris ſui Wenceslai jure patris obvenerat. Sed Huſſyte noluerunt eum accipere propterea que bellis adverſus congredi attentabat. Sed Huſſyte ipſum in preliis quinque vicibus confuderunt, exercitus ipſius eisdem quinque vicibus proſternendo. Ne igitur Wladislaus Rex Polonie hereſim Huſſitarum incurreret, prelati Polonie injurias hujusmodi tolerabant ſibi neceſſaria omnia miniſtrando & non ſolum hoc, ſed & ipſe Rex decem aut XII equos nutriendos monaſteriis cum duobus ruſticis relinquebat, precipiens ſub ſua gracia regali ſerioſe quatenus eisdem equis ſufficiens fenum & avena pro pabulo miniſtrentur. Et hec eſt maxima angaria & illibertas Eccleſie & contra illud quod canonibus cautum eſt, quod princeps ſecularis nec unam quidem micam de monaſteriis debeat poſtulare, & quod ſoli Deo dicatum eſt amplius in humanos uſus redire non debeat, & ad exemplum iſtius Regis ceteri principes in ſuis ducatibus monaſteria ſpoliabant. Nam anno Domini MCCCCXXV. Johannes Dux Zaganenſis monaſterio ſito in Zagano XV villas optimas vi abſtulit, & pro menſa caſtri ſui Zaganenſis penitus uſurpavit, & hucusque detinet uſurpatas in ſue ſalutis maximum periculum & gravamen. Nam diverſas excommunii & interdicti ſentencias contra ipſum ob hujusmodi facinus promulgatas, datus in reprobrum ſenſum totaliter non advertit, per que fratres ejusdem monaſterii Zaganenſis compulſi ſunt, quod dolendum eſt, per mundi partes diverſas omnimodo exulare. Unde & ſupra fatus Wladislaus Rex Polonie cuilibet Prelato monaſterii loquebatur, ita dicens: ſi tu mihi dare nolueris que ego volo habere, ego accipiam tibi omnia bona monaſterii tui, quod mea mihi tribuere contradicis; acſi patenter diceret: mea ſunt omnia bona monaſteriorum & Eccleſiarum in regno meo conſiſtencium & non veſtra. Sed hujus ſermonis finem facientes ad ſequencia feſtinancius conſcribenda procedemus.

Anno Domini 1399. Domina Hedwigis conthoralis Wladislai Regis Polonie filiam generavit, cui nomen in baptismo Eliſabeth imponitur, ſed tamen in hac egritudine contabeſcens poſt tempus atque una cum filia eſt defuncta, & ſepulta eſt in Eccleſia majori Cracovienſi miraculis corruſcando. Poſt cujus mortem Wladislaus Rex duxit dominam Annam in uxorem, Cazimiri quondam Regis Polonie neptem ex filia conſobrina domine Hedwigis proxime ſupra ſcripte, de qua conſangvinitate eſt per Dominum Apoſtolicum diſpenſatum. Ex hac Domina Anna Wladislaus Rex alteram filiam ſuſcepit, quam in baptismo Hedwigim nominavit, que hucusque matre jam mortua in virginitate

florida permanet, patre nescitur quo animo eam marito tradere non curante. Tempore autem ejusdem Domine Regine Anne videlicet, factum est prelium cum cruciferis, modo qui sequitur subsequenti.

Anno Domini MCCCCIX. Wladislao Rege Polonie in Lancicia constituto, die beati Alexii confessoris ejusdem anni, facta est proclamacio a facie Regis ceterorumque principum, nec non & consiliariorum ipsorum, ut omnes nobiles terre parati essent una cum ipso Rege ad bella procedere, quod audientes Cruciferi de Prussia die assumpcionis virginis gloriose ejusdem anni collecto grandi exercitu provinciam Dobrzinensem, que est pars Regni Polonie vicina terre cruciferorum, subintraverunt, Wladislao Rege tum in Lithuaniam exeunte ipsiusque provincie villas plurimas & oppida cremaverunt, magnam stragem hominum facientes, castrum in Dobrzin quod erat caput ejusdem provincie flammis penitus concremantes. Aliud quoque castrum Bobrowniki appellatum expugnantes, jure belli dicioni sue appropriaverunt. Tercium similiter castrum Zlothoria nominatum expugnantes, assumptis de Thorun mulieribus & puellis choros in cytharis, sistris, fistulis, cymbalis quoque atque tympanis & diversi generis musicis ducentes, quasi leti pro victoria castrum predictum Zlothoriam funditus everterunt, lateresque castri in Thorun deducentes pro fabrica Ecclesie beati Johannis Baptiste in dicta urbe constitute assignaverunt. Tandem flumen quod Wysla nomen habet transgressi, castrum Bydgoszczą occupaverunt, ibidemque hominum non modicam stragem facientes villasque universas una cum oppido Bydgoszczą concremantes, predam permaximam ex eisdem rapientes in propria deduxerunt. Nakel quoque castrum munitissimum oppugnantes expugnare non aliqualiter valuerunt, sed villas districtus ipsius ignibus consumentes predas multas ad propria transduxerunt. Tunc Wladislaus Rex de Lithuania veniens cum exercitu Polonorum circa beati Michaelis Archangeli festum castrum proprium Bydgoszczą infra septem dierum spacium viriliter expugnavit, permittens libere exire Commendatorem cruciferorum cum suis ex eodem castro, & interim Conradus Dux Zlesie & dominus in Olesznicza pro pace facienda inter Regem & cruciferos satagebat, & ob spem concordie in Wenceslaum Regem Bohemie de alto & basso unanimiter compromiserunt, & ad festum nativitatis beati Johannis Baptiste proxime tunc secuturum statuerunt ad invicem treugas pacis. Sed cum in hujusmodi terminis treugarum pacis, predictus Wenceslaus Rex Bohemie per suum laudum sive arbitrium valuisset aliquid minime diffiniri, Wladislaus Rex Polonie per Mazoviam intravit fines Pruthenorum, habens secum in comitiva Wytholdum Ducem Lithwanie, & Tachtamyrzum Ducem Tartarie cum infinita multitudine Polonorum, Ruthenorum, Lythwanorum & Tartarorum. Anno Domini MCCCC decimo cum fines Prussie vastaret valide & civitatem Dambrowkam nomine muro circumdatam effregisset, irrumpentes in eam Lythwani cum Tartaris civitatem igne incendentes atque flammis concremantes muros ejus funditus, sed & in tantam debachati sunt crudelitatem ut in ea nulli parcerent condicioni, etati vel sexui. Nam sacerdotes, qui ut dicitur induti sacerdotalibus indumentis, ante fores Ecclesie in porticibus ejusdem Ecclesie residebant, Lythwani nihilominus peremerunt, rursusque ad populum civitatis conversi ipsum usque ad internecionem deleverunt, adeo ut nec infantulis in cunis depositis eorum immanitas parceret & ut dicitur Tarthari humanis carnibus vescerentur, nam & quartam partem corporis pueriles per pedem circa cingulum suspensam visi sunt plurimi de Tartharis portitare. Magister autem generalis cruciferorum de Prussia audiens hec, duos gladios misit exercitui Regis nostri, unum videlicet Regi, alterum Wytholdo fratri ejus, postulans sibi locum a Rege futuri certaminis premonstrari. Sed dictus locus certaminis cum a Rege sibi fuisset minime premonstratus, sic in campo Grunwald congressi feria tercia diei divisionis apostolorum anni Domini MCCCCX. adeo crudeliter pugnaverunt, ut ipse magister generalis, Petrus nomine & mareschalcus ipsius cum Commendatoribus diversorum castrorum, quorum summatim in numero dicuntur fuisse LXX & omnes alii cruciferi cum exercitu ipsorum, quorum inestimabilis estimabatur numerus de Reno videlicet & Bavaria & de Austria Theutonicorum & de Anglia, nec non & de aliis mundi partibus, utpote de Lywonia & de Galliis, quorum summa dicebatur ad centum XL millia excrevisse. Omnes hi Regis Polonie & Wytoldi fratris sui nec non & exercituum ipsorum cruento gladio corruerunt atque penitus enecati de presenti seculo transmigraverunt, prout ex Regis epistola missa Episcopo Poznaniensi perspicue colligitur, que talis est atque hujuscemadi continencie & tenoris: *Wladislaus Dei Gracia Rex Polonie &c. Principi presuli eximio patri in Christo reverendo, Domino Alberto Episcopo Poznaniensi nobis sinceriter dilecto detur.*

Princeps presul eximie, pater in Christo reverende. Heri audientibus nobis missarum solemniis magister generalis cruciferorum cum omni sua potencia quam habuit ad nostros appropinqvans exercitus, sciens nobiscum preliari & nostrorum fundere sangvinem, nobis & domino Wytoldo fratri nostro carissimo, duos gladios direxit, sic inquiens: ecce vobis duos gladios dirigimus in vestrum subsidium, ut hodie per conflictum campestrem duellare debeatis nobiscum, & locum certaminis nobis indicite aut ipsum vobis indicendum requiratis. Quibus tandem in mansvetudine animi nostri respondimus: Gladios nobis per vos missos suscepimus, & sic suscipere volumus, vobiscum quia Christi nomine invocato per conflictum volumus decertare, locum autem certaminis vobis indicare non possumus neque scimus, sed omnipotens Dominus qui cuncta regit & disponit universa, locum in quo vobiscum pugnaturi sumus, jam vobis preparavit. Denique statim sine mora exercitibus nostris ordinatis & instructis, ipsos dimisimus contra hostes transituros in conflictum, ubi non in virtute brachii nostri vel gencium multitudine armatarum, sed solius Dei potestate & virtute, qui nos semper ab adversis dignatur preservare, paucis valde de nostris, nullis vero notabilibus interfectis, omnes exercitus inimicorum prostravimus, & ipsum magistrum generalem & mareschalcum Swarczybog cum aliis multis commendatoribus cruciferis peremimus, & captivos infinitos ad nostra tentoria deduximus & habemus

mus captivos, inter quos Ducem Conradum juniorem Ducem Stetinenſem, Criſtoforum & alios hoſpites valde multos, quorum numerum ignoramus, recepimus & in captivitatem adduximus, ſicque hoſtibus proſtratis & in fugam converſis, qui remanſerant ſuperſtites licet pauci ipſos in propria perſona ſimiliter inſecuti, & inſequi exercitibus noſtris per quatuor milliaria mandavimus, ubi iterum infiniti ex ipſis fugientibus ſunt perempti & alii in undis fugientes ſunt ſubmerſi. Nos vero Deo noſtro de triumpho nobis conceſſo gracias agentes, per duo milliaria aut ultra ipſos inſequentes ad tentoria noſtra rediimus ſani & incolumes, nobis divina clementia favente & fortuna. Ideo paternitatem veſtram petimus & hortamur, quatenus divinam clemenciam, que nos nullis noſtris meritis precedentibus tantis donavit beneficiis deprecari velit, ut eandem in nobis continuare pietatem dignetur & concedere in hoſtibus incepte victorie triumphum conſummare. Datum prope Haſterad in campo prelii noſtri feria quarta in craſtino diviſionis apoſtolorum. Eciam feria ſexta cum a civitate noſtra hoyaſteyn recedere voluimus, venerunt ad nos nobiles cruciferorum & cives de diſtrictu & civitate Huldenburg caſtrum bonum valde noſtre ſubjicientes dicioni. Anno Domini MCCCCX. Hoc eſt autem exemplar litere Regis.

Igitur Wladislaus Rex poſt hec caſtrum Marienburg quod eſt principalius & quaſi caput terre Prutenorum obſedit, & in iſta obſidione XVIII hebdomadibus moram traxit. Tandem inſtantibus hyemis frigoribus a caſtro, licet inconſulte egerit, retroceſſit, nam ſicut hi qui in caſtro fuerant poſtmodum retulerunt, caſtrenſes in lignis jam defecerant, propter quod oportebat eos gradus domorum caſtri penitus exſecare pro cibariis preparandis. Nihilominus tamen Rex & Wytoldus frater ejus iterum poſt IIII annos terram Prutenorum intraverunt, cumque eſſent in obſidione civitatis Brodnicze duo legati venientes de curia a latere Pape obſidium exſolverunt. De ſupraſcripta autem victoria poſſunt metra ſubſequencia recitari. Illuſtris princeps Wladislaus Rex Polonorum atque Lithwanorum dominus, princepsque Wytoldus, intrantes terram fecerunt maximam gwerram, annis millenis quadringentis quoque denis, luce ſanctorum ter quatuor apoſtolorum, in Julii menſe quorum perimiter enſe, prava, perverſa crucifera gens maledicta, anno poſt quarto cum populo rex venit altro, intravit terram multam habuit ibi gwerram, ipſorum muros concuſſit maxime duros, villas vaſtavit civitates igne cremavit. Item ſubſequentia metra idiomatis Polonici poſſunt ſimiliter recitari &c. Preceſſerat autem eclipſis ſolis per quam hec omnino gwerra ex mutacione aëris dicitur eveniſſe, que ſentencia apud theologos eſt penitus frivola & inanis. Sed quia eclipſis ſolis contigit ante ipſam preſentis negocii ſcripcionem duxi totaliter inſcribendam. Igitur anno Domini MCCCCVI. feria quarta in craſtino ſancti Viti fuit eclipſis ſolis in climate noſtro, apportata autem antea fuerat ſcedula quedam de Cracovia hujusmodi continencie & tenoris, de hac ipſa re fidem veraciter facientis cujus ſchedule tenor atque forma ſequitur in hunc modum: Cras modicum ante horam decimam horologii ſi debite regeſtrabitur, ecli-

pſabitur

pſabitur ſol, & incipiet in parte ſua occidentali & erit a principio usque ad medium una hora quaſi, & tantum a medio usque ad finem. Stabit ergo tota eclipſis a medio usque ad finem duabus horis & plus quam ad X puncta dyametri ejus. Itaque in medio eclipſis totus ſol verſus ſeptentrionem obſcurabitur, & modica pars a meridie prolongata apparebit non eclipſata, & erit in diſpoſicione celi parte eclipſis media & Mars in quarto gradu ejusdem ſigni aſcendentis, Saturnus in piſcibus in domo que eſt domus Martis ſecundum Aſtrologos & Jupiter in medio celi. Eclipſabitur autem ſol in cancro & eſt domus lune. Ecce ob hanc eclipſin quidam autumant ſupraſcriptum bellum cum cruciferis eveniſſe, quod ſtare non poteſt, nam in ſequentibus annis due eclipſes ſimiliter contigerunt & nihil horum penitus accidit, quia usque in preſens tempus inter Regem Polonie & cruciferos ſunt optime Treuge pacis. Anno enim Domini 1417. fuit eclipſis ſolis in craſtino ſancti Viti feria ſexta hora quaſi tercia me miſſam legente, ſol fuerat obſcuratus, & me terror nimius tunc invaſit. Rurſus anno Domini 1424. die beatorum Johannis & Pauli Martirum fuit eclipſis ſolis, ſole jam vergente circiter ad occaſum, & tempore modico perduravit. Sed jam ad geſta Polonica redeamus. Igitur poſt ſepe fatum bellum habitum cum cruciferis de Pruſſia, Anna Regina Polonie conthoralis Wladislai Regis Polonie non multo tempore ſupervixit, ſed ad extrema perveniens in Domino obdormivit, poſt cujus tranſitum Wladislaus Rex duxit in matrimonium quandam nobilem Dominam Eliſabeth, jam provecte etatis feminam. Ipſa namque poſt mortem trium maritorum & Baronum ſe ſe immediate ſequencium extitit viduata. Ipſam igitur Wladislaus in uxorem accipiens & forte per triennium ſibi cohabitans, poſtea defunctam inveniens eccleſiaſtice tradidit ſepulture, poſt cujus mortem Wladislaus Rex forte ex informacione medicorum quorum ſana doctrina eſt, quod ſenex vir ex juvene femina ſobolem poteſt innumerabilem accipere, ut res eſt in propatulo. Abraham cum Sara centenarius Yſaac a domino impetravit, poſt obitum Sare accepta Cethura juvene muliere multarum gencium poſt modum ſequencium ex eadem Cethura quinque filios generavit. Wladislaus igitur Rex quartam uxorem ſuperinducens quandam Ruthenam adhuc in virginali pudicicia efflorentem ipſam baptizari fecit, nomenque ei in baptizmo Zophia imponitur, poſt diem autem tercium baptizmi ipſius Wladislaus Rex ſolemnes nupcias celebravit, ſicque demum eam in cubiculum introducens, cum ea intempeſte noctis ſilencio obdormivit.

Anno autem Domini MCCCCXXIV. Zophia Regina Polonie filium genvit, cui Vladislaus in baptismo nomen paternum inponitur, poſt nativitatem autem hujus pueri quedam prophecia cujusdam Johannis Monachi per Regnum Polonie diſcurrebat, cujus prophecie tenor de verbo ad verbum ſequitur & eſt talis. Anno nativitatis Domini MCCCCXXIV. naſcetur nova aquila ſe in ortu nidificans, tunc enim regnum leonis detrimentum pacietur, in quod regnum hoc eſt leonis veniet lilium & ſtabit in agro regni illius inter ſpinas, que ſpine multum pullulabunt. Cui in oppoſitum de ortu ſolis veniet filius hominis, cujus regnum eſt in terra lune, ferens beſtias in brachiis ſuis. Jam enim pel-

lem

lem ejus dentibus suis dilaceravit, qui filius hominis pertransiet regna plurima & civitates sine adjutorio, & stabit in spinis regni illius & non pullulabit nec florebit lilium super eo, post que bella, pestilencia, fames procedet, alis extensis super solem cum multitudine pullorum suorum & veniet in regnum leonis & videbit pullulaciones spinarum & flores liliorum statimque cadet in campo lilium & ejus coronam suscipiet filius hominis & primo florebit liliis florum & dominabitur dominis liliorum. Tuncque nova aquila iter magnum faciet usque ad caput mundi descendet. In ejus appropniquacione caput mundi declinabitur & dominabitur orbi & Reges subjugabit qui omnes servient in obediencia ei, & tunc erit tranquillitas in universo orbe, & terra dabit fructus dignos opulencia ut ab evo mundi. Sic impleri dicitur prophecia Johannis Monachi mistici. Sic dicitur exposicio: nova aquila est filius regis Polonie in ortu solis, regnum leonis dicitur Bohemia que patitur detrimentum heresium, lilium id est Rex Ungarie veniet bellare, contra quem spine pullulabunt, id est adversarii quos hereticos dicunt, filius hominis dicitur Dux Lithwanie heres Russie habens regnum sub luna id est non in perfecta fide, qui feras seu bestias fert in humeris seu in brachiis id est virtute & potencia gentiles seu paganismum, & dilacerabunt ibi & nullus nocebit eis quia prelia obtinebunt, post que bella originis id est sub ortu solis Polonie aquila alis super solem extensis cum multitudine pullorum id est in numero Christianorum quorum fides sub sole lecior atque melior est. Veniet in regnum leonis coram quo lilium cadet, & ejus corona ponetur in filio hominis & aquila pertransibit mundum & dominabitur universo orbi & adorabunt eum omnes gentes &c. tantum est de ista prophecia, que si vera contineat an falsa, lectoris est judicio relinquendum. Rursus autem Domina Zophia Regina Polonie anno Domini MCCCCXXVI. alterum filium est enixa cui nomen in baptismo imponitur Cazimirus, post cujus nativitatem pueri altera prophecia sive presagium Antonii de Archo de Neapol data in comitatu Myrze prope montem Sybille fuit apportata, hujuscemodi continencie & tenoris: Nunc explano necnon cano, quem RegemDeus dabit, qui tyrannos & paganos in brevi subiugabit, hic Soldanum tanquam vanum suo sternet pugillo, & tam magnus velut agnus captus ibit cum illo, Turcorum Rex ejusque grex sibi famulabitur, Rex Indorum vi suorum ei suffragabitur, omnes Reges atque greges non adorantes Christum prosternentur & regentur per monarcham istum, archangelus & angelus pro ipso pugnabit, sua vita redimita multis annis durabit, Papa verus & sincerus per hunc Rome dabitur. Sancta Clavis atque navis Petri reparabitur, & in mundo tam jucundo fiet unum ovile uti fantur & prophantur prophecie sibile. Nam Sibilla Tyburtina dixit, surget unus Rex Romanorum & Grecorum cui favebit omnis grex. Erit albus & sub albus cruce fultus & ense. Isque sponsam Christi tonsam exaltabit immense, vir maximus suis armis crucem tenet & ensem duplicatum sibi datum ex divino munere, tenens alta dextra parte regalique culmine albus eqvus multum letus sub armorum genere, vibrans ensem manu tensa in armorum fulmine. Ecce ista prophecia si vera continet lectoris est arbitrio relinquendum. Sed & ista prophecia falsa omnino continet. Nam puer Cazimirus eodem anno circa carnis privium mortuus est.

7436